










HIERONYMI NIGRISOLI

FERRARIENSIS

In Patria Vniuersitate MEDICINÆ Lectoris Ordinarij,

ET SERENISSIMI

FERDINANDI GONZAGAE

Guastallæ, Luzzariç, Reggioli Ducis Molfictę Principis &c.

MEDICI,

PROGYMNASMATA

In quibus nouum præsidium medicum Appositio videlicet Hirudinum internæ parti vteri in puerperij, & mensium suppressione exponitur, rationibus, auctoritatibus, & experimentis confirmatur;


De Vena in Febribus malignis secanda differitur, & alia Medicis non solum, sed omnibus bonarum litterarum cultoribus vtilia simul, atque Iucunda expenduntur.



GVASTALLÆ, Typis Ioannis de Erasmis, Impres. Duc.

Superiorum Permissu. 1665.





SERENISSIMO PRINCIPI

FERDINANDO

GONZAGAE

Guastallæ, Luzzariæ, Reggioli

DVCI III.

& Molfictæ Principi &c.



Sal. Fel.



LAboris coniugio; ſcientiarumque fæcundata ſeminibus ſuos quoque fœtus mens habet humana, Sereniſs. PRINCEPS; Hęc primęuę culpę vitio ignorantię damnata cruciatibus, fæmellæ conſors, non minus acerbos interenititur dolores; vrget enim iuſta

 Sapi-

Sapientum cenſura , mordet indiſcreta Cinicorum rabies ; propriȩ torquet imbecillitatis conſcientia ; Hoc habet illa ſolatij , vt conſtitutis temporum legibus non cogatur ad partum ; fœtum tamen geſtit emittere, qui tandem eſt proferendus, & maximè ſi humanæ vitæ, & incolumitati proficuus non deſperatur, ne ſuo cõmortuus Auctori , eundem ſui reum interitus, humano inuidum bono creatoris ingratum munificentiæ (qui dedit ingenium) cæleſtis euocet ad iuſtitiæ tribunal. O ſi hominis eſſet deliberanda natiuitas ? & ſolo Parentum nutu in hunc terrarum orbem eſſet deuoluendus ? nullus proculdubio præteriret ſtellarum inauditus rotatus, nullus, vel furtim, inter aſtra eiacularetur aſpectus, vt humana proles fælicißimis cælorum viuens frueretur influxibus , vnde Aſtronomia ſcientiarum veluti Regina inaniter exculta, tanquam mortalium ſortis moderatrix , & domina magis ſuperbiret . Cur igitur , hoc quando nobis eſt datum , benignioribus inconſultis ſyderibus, ſolidiori inauſpicata fȩlicitate voluntarium noſtræ mentis partum in lucem edamus ? & fæliciores vnde , aut ſplendidiores, quam ex præclariſſima GONZAGORVM nobilitate ,

meis

meis hiſce PROGYMNASMATIBVS radios exquiram? quæ regio apud Germanos olim coronata diademate, indeque in Italiam, Galliam, atque Hiſpaniam translata, dignis vbiq; imperijs, & dominijs aucta, feracisſima Heroũ, Principibus ſemper belli non minus, quam pacis artibus admirandis toto orbe emicauit; Si te Sereniſs. FERDINANDE, verum pietatis, prudentię, ac fortitudinis exemplar, ego ipſe, cui Celſitudinis tuæ ſanitatis, & vitę cuſtodia iam diù credita eſt, meaque familia beneficum adeò experimur, cuiuſnam melioris Iouis beneficos aſpectus exoptem? Te habito mihi, meoque huic operi Italico ſub cælo fautore, cognata tibi ſydera, peregrinis ſub cælis, quos ſplendidiſsimè irradiant, fauſta pariter affutura non dubito; maleficos non extimeſcat aſpectus, qui tua in domo Te ſui exaltatorem agnoſcit; hoc opus tuo nomine immortalitate donabitur. Tuum eſt, quando ventris naturam ſequitur partus, qui ſanè, ſi primogenitus, à me Tibi, quantum fas eſt, humillimè dicandus; Oblationis tenuitatem ne dedignere, SERENISSIME PRINCEPS, nec deuotionem erga te meam incorrectis adſcribas auſibus, fauit enim legum lator Licurgus, qui munera Dijs ipſis, minima quamuis, offerenda decreuit,

uit,

uit, & qui factis operam à me suscipis medicam, eandem ne scriptis renuas. Vale.

Guastallæ Idibus Septembris Anni 1665.

Celsitudinis tuę Sereniss.

Humillimus, & Addictiss. Seruus.

Hieronymus Nigrisolus.

Candido, & Beneuolo Lectori Sal.

M*Earum partem Lucubrationum perpetuis alioquin tenebris damnatam in gratiam Amicorum exire permitto in lucem, Candide, & Beneuole Lector; renui quidem diu, sed iustis eorum votis perpetuò reluctari ab omni alienum officio humanitatis existimaui; mutilum quidem opusculum est, atque imperfectum, nonnulla tamen sapientum virorum calculo humano generi vtilitatem non minus, quam voluptatem continet alatura. Antiquam, & ferè obsoletam apertis vteri venis sanguinis extractionem, nouo tamen præsidio moliendam exhibet, quid feminis vtilius? venam in malignis Febribus incidendam, rem arduam, ac perobscuram edocet, quid Medicis præsertim iunioribus optabilius? Romanæ Mulieris longam, ac ferè inauditam grauidationem considerat, quid vrbi, & orbi illam iamdiu suspicienti iucundius? quamplura in eo inuenies prolixiori extensa oratione, alia minus doctè probata, & confirmata, in multis Principum medicorum sententias ad satietatem, ne dicam ad stomacum adductas; sed primum scribendi occasio, de qua hic longius non differo exigebat, secundum ingenioli mei tenuitati perhumaniter condonandum*, res etenim ardua est, *dicebat Historicus*, vetustis nouitatem dare, obsoletis nitorem, obscuris lucem. *postremum sano consilio factum ipse affirmabis*, est siquidem benignum, & plenum ingenui pudoris fateri per quos profeceris, sicuti obnoxij profecto animi, & infœlicis ingenij, deprehendi in furto

malle,

malle, quam nucium reddere. Habes, Humanissime mei rationem instituti, in quo vtilitatem iuuandi studio me prætulisse placendi, nouit scrutator cordium D. O. M. Tu interim meos qualescumque conatus æqui, bonique consule; & quoniam in impressione, cui semper interesse haud potui, errata irrepsere, eorum quę maioris momenti sunt correctiones in fine operis inspicere ne graueris, leuiora vero tua humanitate corrigere ne renuas. vale.



INDEX PROGYMNASMATVM.
quæ in hoc opere continentur.

AD

AD PERILLVSTREM, ET EXCELLENTISS.

D.D. HIERONYMVM NIGRISOLVM

FERRARIENSEM PATRITIVM
In Almo Patriæ Gymnasio Medicinę Lectorem Ordinarium,
& Serenißs. Ducis Guastallæ Medicum,
Progymnasmata Medica edentem.

Vaticinium
Anagrammate numerico puro expressum anniq;
1665.
Currentis numerum prorsus explens.

287	521	595		262
Doctor	Hieronymus	Nigrisolus	à	Ferraria

678.	206	640	141
Æsculapius	alter	destinabitur	orbi.

Explicatio.

287	Effera dum cunctis indicis prælia morbis,	678
521	Gallia quosq; tulit sedulus arte fugas.	206
595	Conscia te meritò similem præsagia fantur	640
262.	Prolis Appolineę; nominis omen habes.	141.
1665.	Fallor. Te prodit tua Virtus maior in orbes	1665.
	Insigni calamo, quos nequis ore, iuuas.	



S.P.Q.R.

Ad Excellentissimum

D. HIERONYMVM NIGRISOLVM

De vſu Citri, quod Gręcis aureum malum vocatur, in Febricitantibus, & Puerperis ſcribentem.

ELOGIVM.

Mittite Cęnas Epulones;
Parcius Vobis conuiuium Auctor Operis parat.
Aurea mala guſtanda qui porrigit.
Prętioſam amat voluptatem, ſed ſobriam.
Sapere incipit Ægritudo,
Quæ grato hoc ſucco depellitur.
Aurea mala rapturo Herculi
Sternenda prius monſtra fuerunt.
Morborum monſtra ſtraturus Auctor
Aurea mala non rapit, ſed porrigit.
Ditandi Mortales ęgrotate
Quod malum, malo prętioſiore depellitur.
Non pauperat Ægrotum, ſed ditat.
Agat tibi gratias humanum Genus HIERONYME,
Nempe congruum morbo remedium paras.
Quę mala Terris intulit Adami malum,
Meliori malo fugare tu niteris.

I. B. S. è Soc. Ieſ.



Ad

Eiusdem Ad Eundem.

De Sanguine ab egrotantib⁹ mulierib⁹ extrahendo scribentem.

MOrbosum vt teneris depellas artubus hostem
Sananda inflicto vulnere membra doces.
Falleris; est hostis ledendus vulnere; non quæ
Hostiles subeunt mollia membra dolos.
Ast ò Artis opus! doctę ò miracula mentis!
Post hanc sanabunt vulnera, lędet Amor.

Ad Eundem.

HIERONIMVS DE NIGRESOLIIS MEDICVS

Annagramma.

RIGIDVS CIES MENSES HIRVDINE MOLLI.

Explicatio.

Pallida quid languent suppresso membra cruore
Femineo, pigra proleq; męsta iacent?
Ecce CIES RIGIDVS MOLLI citò HIRVDINE MENSES.
Lucina & fies fętubus apta nouis.
Nec sęnus propriè hac causa dicèris ab vllo,
Nam rigor est ęgris vita, feręq; cibus;
Pascitur hęc feriens vitali sanguinis imbre,
Sed morbum ęgroti mox peritura bibit.
Vulnerat, ast moritur; sanatur vulnere languens;
Tanta potest docti scripta medela VIRI.

Horat. Formig I. V. D.

Al' Molt' Illustre, & Eccellentissimo Sig. Dottore

GIROLAMO NIGRISOLI
MEDICO
dell' Altezze Serenissime di Guastalla.

SONETTO.

PEr vccider se stesso ogn' hor procura
Sciocco l' ingegno human nuoue maniere;
Mentre al pallato suo le selue intere
Fà tributar con faticosa cura.

Mà 'l NIGRISOLI in carta bianca, e pura
De le Dottrine sue le reti vere
Spiega per dar la morte à tante fiere;
Così 'l viuer del' huom più longo dura.

E s' Apollo vantò primo l' honore
Di quest' arte acresciuta in Epidauro,
Ch' Hippocrate vi diede alto splendore:

Porti frà questi Tu ben degno il Lauro,
Ch' al tuo apparir la gloria altrui si more,
E scopri de secreti il ver tesauro.

Eiusdem
Ad Mortem Dialogismus.

P. *Cur tua consuetam non gestat dextera falcem?*
M. *Hanc mihi Hironymus sustulit arte noua.*

Francesco Formigieri.

Per

Per varij Trattati di Medicina dati in luce dall' Molt. Illust. & Eccellentiss. Sig. Dott. Girolamo Nigrisoli.


Aga di partorir strani portenti.
Per rotar di molt'anni asconda i parti
Pur natura nel sen, che in dotte carti
Pingon l'occulte Idee tuoi saggi accenti.
Di Gallico veleno atri alimenti
Se nel commun respir beuon le parti;
Tu del Vecchio di Coo vanti con l'arti
Render del rio velen l'aure innocenti.
Torna à tuoi cenni à le Tartaree porte
Smunto, e pallido il Morbo, e d'Acheronte
Nuotan nel fosco sen le febri absorte:
E se dal braccio apri di sangue vn fonte,
In quel onda letal corre la Morte
I naufragi à incontrar cieco Fetonte.

Gio: Casalecchi Med. Regg.

Al Medesimo.

' Arabe zolle, e di Campagne armene
Cò le scelte radici, e semi, e piante,
A cui del viuer suo langue la spene
Curi Gran NIGRISOLI il cor penante.
Vibra colpo letal falce rotante
Di Morte, à l'or, che ad assalir se'n viene
E il trionfo le accerta vn giro errante,
Che fa gelido il Sangue in calde vene.
Ma Tu de mali il fier nemico stuolo,
Cò tuoi (più che d'Ipocrate, ò Galeno)
Dogmi raffreni, ad ogn' Infermo il duolo.
Così di nostra vita il dì sereno,
Ch' Atropo ad ecclissar precorre à volo,
Se eternar Tu non puoi prolonghi almeno.

Andrelasso Iniltengi.



Illustrissimo Viro

D. RAYMVNDO IO: FORTI

In Patauino Lyceo Practico Primo Ordinario, ET MEDICO PRÆCLARISSIMO

Hieronymus Nigrisolus Sal. & Fel.



Varum præexcellens fama virtutum, & summa in medendo prudentia orbe toto celleberrima, Illustriss. Raymunde, quę vel renuentem ad Principem medicinę sedem in Patauino lyceo totius Sereniss. Senatus Veneti suffraggijs te euexere, Sereniss. Guastallę Ducem dominum meum clementissimum ad te quoque vocandum induxerunt, vt Sereniss. Principem Vincentium eius Celsitudinis filium imanibus, dirisque morbis iàm diù conflictatum tuis consilio, & scientia pristina redonares sanitate, alterum Hippolytum, alter Esculapius ab orci faucibus euocares. Venisti vir illustris. venisti famamque praclarissimam spectabili presentia superasti, et mihi oblatum interea totis ex votis solatium, Te quem ob innumeras, ac celebres animi dotes iamdiù suspiciebam procul, & venerabar agnoscendi propè, colendi, & admirandi. ex quo in me nata, & nullis temporum interstitijs adulta cupiditas obsequium erga te meum aperiendi magis, idque apud te firmo aliquo memorię monumento statuendi, illud Ouidij tertio de arte repetens animo, Artę peren-

perennat amor. mihi porrò bonarum rerum omnium inopia presso cogitanti, quanam ope, qua ratione, voti compos euaderem subijt, me tibi de scriptoribus nostri seculi egregiè disserenti Zacutum Lusitanum proposuiße, atque de eius doctrina, quomodo tibi probata esset, interrogasse, Quid præsertim de nouo presidio medico ab eodem proposito, De Appositione videlicet Hirudinum internæ parti vteri in puerperij suppressione sentiendum arbitrareris, querendo, & sciscitando; Teque ipsum licet nouitatem remedij paulò suspexisses, illud tamen (quod illicò fecerunt alij) non improbasse, immò auditis experimentis à me de eo habitis comprobaße; Quocirca cum Medicum de ea re, Progymnasma ad Prestantissimum virum D. Mauritium Calanum Preceptorem meum sapientissimum anno presentis sæculi 1658. conscripsissem, non ingratum tibi, atque iniucundum futurum existimaui, si illud in obsequentis animi testimonium ad te mitterem, tuoque famatissimo Homini nuncuparem. Spem haud fefellit euentus, non solum enim, qua excellis humanitate leuidense munusculum benignè excepisti, opusculum, & auctorem laudibus decorasti, verum vt illud Orbi communicarem datis ad me litteris 4. idus Augusti 1664. vehementer hortatus es, ità scribens: nihil itaque, quod ad auxilij, tanti profectus administrationem conducere posit reticuisti, & hoc idem orbi communicare ambigis? An quia de vnico tantum agitur remedio? Qui fructuosa non qui multa scit, sapit, dicebat Æschylus; tuum igitur lumen in aliorum imitte animos prestantissime Vir, & à tenebrarum iniuria vindicabis, que sciri, cognoscique publicè interest, vt optime de repu-

blica

blica medica merearis, & humanę salutis, qualis es satagens videaris; sicque vniuerso cum morali Philosopho ostendas, quod multum egerunt qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt. *Tuis igitur, & aliorum sapientum, & amicorum monitis obtemperans Typis excussum, tuoque immortali nomine obsignatum inuenendum famę theatrum prodire sino. Tu illud ab inuidorum, & Zoilorum telis protege atque, tuere, & me inefabili tuæ humanitati, & meritis singularibus deuinctissimum amore prosequi ne desinas.*

Dabam Guastallæ Kal. Maij 1665.



DE HIRVDINVM APPOSITIONE INTERNÆ PARTI VTERI

In Puerperij, & Mensium Supressione

PROGYMNASMA PRIMVM.

Ad per Illustr. & Excellentiss. Virum

D. MAVRITIVM CALANVM

In Ferrariensi Accademia Philosophię Primarium Professorem, & Medicum pręstantissimum.



Agnum quid est in arte Medica nouum inuenire quod admiremur, reperire quod imitemur, MAVRITI Pręstantissime, *Homo tamen, qui prudens sit, & diligens, & mente exercitatus, Vbi etiam inueniendi viam ab alio tradditam ceperit huic facillimum est per eam vltra progredi*, dicebat Gal. Lib. xiiij. Meth. c. xvij. *huius rei amplum testimonium fuerit*, ſubdens, *quod eiusmodi viri artem maximis operibus illustrarunt, plurrima namque inueniuntur hodie, quæ apud maiores nostros non fuere inuenta.* Et ab Hippocrate deſſumpſerat libro de Veteri Medicina num. 13. vbi legitur. *Medicina autem iam ab An-*

tiquo existit, & principium, & via inuenta, per quam inuenta, & multa, & probè habentia comperta sunt per multum tempus, & reliqua deinceps inuenientur, si quis idoneus sit, & iam inuentorum gnarus ex his ad perquirendum procędat. Versamur circa subiectum quod mutatur aſsiduè, numquam in eodem statu permanet, haud vna igitur semper terenda est via, eadem non vsurpanda remedia, vt morbi deturbentur; Quam multa apud Antiquos celebrantur Pharmaca, quorum vsus iam obsoleuit? Quot nouis è contrà ditescit Medicina pręsidijs, quę priscis eius cultorib⁹ ignota extitere? prout variant affectus, immutantur corpora, varia excogitanda, permutanda medicamenta, noua etiam amplectenda, dummodo Artis pręceptis consona, ratione fulcita, experientia firmata;

Huius census, mea sententia, existit quod a Zacuto Lusitano Viro doctiſsimo exponitur Libr. prim. de Medicorum Principum hist. hist. V. a paucis obseruatum, ab omnibus neglectum; Appositio videlicet hirudinum internæ parti vteri ad euocandam suppreſsi puerperij euacuationem. Quo tamen Ego fœliciſsime hoc anno iam vsus fui in Illustri muliere primum D. Anna Lolia, mox in Illustriſsima D. N. N. Vtraque puerpera, altera pleuritide mali moris, hac sęuiſsima febre maligna laborante, vtraque ob suppreſſam lochiorum euacuationem iam delirante, miserimè, atque manifestiſsimè periclitãte; cuius deinde pręstantiam admiratus in menstruorum etiam suppreſsione illud primus experiri sum ausus in honesta Virgine Lucia d. N.N.

Ancil-

Ancilla, diris ob eam cauſam, varijſque ſymptho-matibus vexata, deinde in alijs pluribus, quæ tamen omnes nullis alijs proficientibus auxilijs mirabili hoc præſidio, Dei ope, mea autem opera fuerunt curatæ, & magna conſanguineorum, & adſtantium admiratione ob remedij nouitatem priſtinę ſanitati perfectè reſtitutæ.

Verùm, etſi curationes ſecundum vota, & proſperè ſucceſſerint, non defuere tamen Viri in Arte Medica clari, qui infidam huiuſmodi operationem, multiſque plęnam periculis arbitrantes, illam non contemnendis rationibus damnare non dubitarunt, & validis argumentis ab vſo Medico explodere tentarunt;

Quocirca operæ prætium me facturum putaui, ſi tanti Medicamenti vires (quod primus eius Inuentor non pręſtitit) rationib⁹, & auctoritatib⁹ demonſtrarē, experimentis habitis confirmarem, obiecta diſſoluerem, verumque eo vtendi modum patefacerem, vt florentiſsimis Ciuitatibus, vbi Medica vigent ſtudia, quibus adhuc ignotum eſt, palam iam fiat, & Medicis Armamentarijs ad propulſandas mulierū affectiones ſtrenuiſsimum hoc tandem addatur præſidium.

Hirudines ergo internæ parti vteri in puerperio ſuppreſſo ſe narrat appoſuiſſe experientiſs. Zacutus loco nuper adducto vbi habet, *Fæminam a partu ex menſtruo retento orta febris inuaſit, quæ nec tali ſectionibus, tibiarum coxarumque, ſcarificationibus, aut apertis hirudinum vſu mariſcis miteſcens in phręnitidem abijt, & cum totius curationis cardo in procuranda ſuppreßa euacuatione verſaretur*

ſaretur, & omnia reuellentia iam eſſent celebrata auxilia, nec aliud reſtaret exequendum niſi ob vrgens ex inflammatione periculum ex ſupernis partibus ſanguinem extrahere, cum affectus videretur iam eſſe factus communis, prius ad originem mali, & occaſionis principium deuenire conſultius iudicaui, ſicque quattuor Hirudines filo appenſas apponere iubeo, ex quarum ſuctu ſecuta larga euacuatione reſcipiſcere Ægra cæpit, atque ſedato delirio melius habuit.

Alibi, quod ſciam, eiuſmodi præſidij haud meminit, immò lib. 3. Praxis hiſtoriarum cap. 20. vbi de torminibus a partu agit, ſi purgatio ſit imminuta ſecandam eſſe venam in talo aſſerit, hirudines mariſcis affigendas, femora in parte domeſtica ſcarificanda, & ſupra cap. 10. vbi de menſtrui ſuppreſsione, *commodam, & ſalutiferam eſſe*, inquit, *venæ ſectionem*, cui ſtrenuo auxilio, cęteris non neglectis, palmam deferendam, ait, eamque in infernis partibus ſemper eſſe celebrandam acriter pro Galeni tutela contendiſſe affirmat, Lib. pri. hiſtor. in com. hiſt. 77. altum vbique tenens ſilentium de hirudinum appoſitione, Quare cum illam veluti obiter in allata obſeruatione, & languidè proponat, frigidè laudet, alibi, vbi ex profeſſo de vtero euacuando diſſeruit, eius non meminerit, non immeritò ſuſpicandum eſt cum viro doctiſsimo, ipſum tale remedium licèt propoſuerit, non tamen adminiſtraſſe, & forte non approbaſſe, qui enim, inquit ille, frigidè laudat, vituperat.

Alium præterea Medicum de eo loquentem mihi inuenire

uenire haud cōtigit, excœptis Nicolao Fontano lib. pri. de morb. mulier. c. 2. vbi ſcribit, *Zacutus Luſitanus hirudines internæ parti vteri admouet, & ſe huius auxilij primum inuentorem gloriatur, quod vtrum conſonum? Iudicijs expertorum relinquimus*, & Sennerto lib. pariter primo de morbis mulierum cap. 7. qui non ad euocandam ſuppreſsi puerperij, aut menſium euacuationem, ſed ad aperiendas vteri hęmorrhoides, & ſanguinem quo turgent, ac dolent, ab ipſis euacuādum hirudines vtero apponit.

Quocirca nouum plane inuentum eſt; Verùm validiſsimum, ac tutum medicamentum, cum enim mulierum ex retenta puerperij, vel menſium euacuatione laborantium totius curationis cardo in eo conſiſtat, vt ſuppreſſa ſanguinis fluxio ab vtero excitetur, ad illud autem exequendum nullum poſsit haberi pręſtantius auxilium ſuctu hirudinū, vt in progreſſu ſum demonſtraturus, hirudinum appoſitionem cæteris præferendam eſſe nemo nōn fatebitur.

Vt autem in eius præſtantia, atque vtilitate aperienda, & celebranda breuius procędatur, vno, & eodem tempore de Puerperij, & Menſium Suppreſsione verba faciam, cum vt Galenus docet lib. 5. Aphoriſ. com. 28. eodem nomine appellentur etiam ab Hippocrate ea, quæ ex vtero muliebri euacuantur in menſtruis purgationibus, & a partu, eaſdem habeant cauſas, eademque remedia.

Sed, antequam vlterius progrediar, illud inſuper animaduertendum, quod & obſeruauit Zacutus vbi de

men-

mensium suppressione, non semper in talibus affectionibus ius suum habere sanguinis missionem, & quod consequens est hirudinum appositionem, si enim cachochymum corpus, & sanguine omnino corrupto, & putrido infectum offeratur, tunc fortasse omni sanguinis missione omissa (de quo tamen alibi) purgatio instituēda, si, quod Galenus docet lib. 3. de Simpth. caus. cap. 4. & lib. 5. aphorismum com. 28. ob vteri duritiem, aut densitatem, vel ob Vasorum angustiam, aut intemperiem, vel ob materiæ crassitiem, aut lentorem, eiusdemque paucitatem ob nimiam exercitationem, aut victum tenuem menstrua supprimantur, vel vt Hippocrates monet lib. prim. de morb. mul. n. 3. & alibi, ob vteri distortionem, eius ceruicem extra pudendum sitam, aut eiusdem pudendi partis contractionem, alia sumenda medicamenta, quæ duritiem emollire, angustias dilatare, vterum reponere, humores crassos incidere, & attenuare, & sanguinis inopiam reparare sint aptè nata, & ita non poterit habere locum hirudinum appositio, sicut nec habet in talis, seu poplitibus venarum incisio, cum neutra prædictis indicationibus valeat satisfacere;

Nec ideò tamen culpandæ hirudines sunt, ac reiciendæ, vt fuit nonnullorum opinio, cum enim earum munus sit sanguinem educere, & sic plenitudinem vniuersalem, aut particularem primò imminuere, deinde etiam prout diuersis partibus affiguntur reuellere, ac deriuare, vltrà prędictos effectus non debet extendi earum vsus, hoc enim esset earum vires dilatare velle ad ea, ad

quæ

quę natæ non sunt, quod ab Hippocrate damnatur lib. de arte num. 13. dicente, *Si quis ab Arte potentiam in ea quæ non profitetur, aut a natura facultatem in ea ad quæ nata non est exigat, is ignorat insaniam dementiæ potius, quam ignorantiæ conuenire*; quando pręsertim plures remaneant causæ, quas oppugnare hirudines strenuè valent, & inde dessumptæ indicationes, quas rectè adimplere, suppressasque hoc pacto euacuationes euocando morbos auuertere, hirudines sunt aptissimæ.

His præhabitis, earum Appositionẽ rationibus firmare aggredior, et Argumẽtis pro earum tutela pugnare;

Quorum primum est, Ob nimiam sanguinis copiá in vtero, ac eius venis congestã supprimũtur muliebria, non valente eodem sanguine præ multitudine exire, vt in vase nimium liquore pleno euenire conspicitur; Ergo illo vtendum præsidio, quod vterum deplere, & exuperantem sanguinis copiam potens est educere; Huiusmodi hirudines sunt internę parti vteri affixę, Ergo hirudines internę parti vteri sunt affigendæ.

Antecædens est Hippocratis lib. de loc. in homine num. 60. dicentis, *vbi verò vteri impleti intumuerint nihil fluit, & pleni fiunt*; Consequens ex methodo medendi ellicitur, & habetur expressum libro eodem hisce verbis, *Sed si humore pleni vteri, osculum tumidum habuerint, & non fluxerint fluxionem facere oportet, & subditi- tijs pharmacis sanare*. Vbi notandum obiter, Hippocratem dum Subdititijs pharmacis rem peragendam consulit, per vteri venas demendam plenitudinem faciendamque euacuationem manifestè asseuerare.

Sub-

Subſumptum res ipſa probat, & experientia, & Principum confirmat Medicorum auctoritas, qua conſtat hirudines venas morſu aperire, ſanguinem ſuggendo attrahere, & è corpore educere, ſicque plenitudinem vniuerſalem, & particularem prout diuerſis partibus apponuntur imminuere, atque exhaurire; ita legimus apud Galenum de Hirudinibus cap. prim. Auicennam lib. prim. fen. 4. cap. 22. Aetium tetrabili 4 ſerm. 4. c. 63. Actuarium lib. 3. meth. c. 3. & Aretæum lib. 2. acutorum c. 6. Quod & recentiores declarant, Fernelius ſcilicet lib. 2. meth. med. cap. 19. Mercatus libr. pri. de indicat. med. c. 4. Cappiuaccius lib. 6. ſuæ practicæ cap. 23. vt Augenium lib. 10. de Sang. miſſ. Sennertum lib. 5. Inſtitutionem, & Alios plurimos omittam; Quod pariter in vtero ſucceſſurum, ſi eidem apponantur hirudines, certo certius exiſtit, quum præſertim ea pars tenella ſit, ac ideò poſsit hirudo trifidum vulnus in ea facilius imprimere, vt Fernellius in mollioribus, & tenellis partibus fieri obſeruat, & ita copioſius ſanguinem haurire.

Secundum vero. A copia eadem Sanguinis comprimitur vterus, eius obſtruuntur meatus, & ita conſueta ceſſat mulicbrium euacuatio Ergo hirudines quibus talis demitur plenitudo in vſum ducendæ;

Antecædens eſt Galeni lib. 5. aphoriſm. com. 57. & a Mercato exponitur lib. prim. de morb. mulier. cap. 9. dicente, ſanguinis multitudinem meatus vteri obſtruere, diſtendere, & grauare, vt comprimi ad expulſionem non poſsit; Conſequens ex allatis eſt notū Ergo &c.

Ter-

Tertium, Sanguine in aliam partem fluente, ad alium locum conuerso supprimuntur lochia non minus, quam menstrua, Ergo sanguis ad vterum ducendus, & reuocandus. Id prętant affixę hirudines; Ergo hirudines affigendę.

Antecedens est Hippocratis lib. de Virginum morbis num. 10. Galeni lib. 3. de Simpt. caus. cap. 4. & probatur euentu, dum quotidie obseruatur in puerperis, sanguine refluente ad mammas pro lactis generatione lochiorum imminui excretionem, Consequens ex legibus Medicis est euidens.

Quod autem hirudines sanguinem ducant, & reuocent ad vterum (quod est subsumptum) ità euidens est, vt non posit negari, cum omnibus in confesso sit, & supra allati Auctores abundè testentur, hirudines veluti cucurbitulas humores attrhaere, tanquā siphonibus earum suctu sanguinem exhauriri.

Quartum. Quies, & immobilitas sanguinis in causa existunt mensuum suppressionis, cum ad eorum euacuationem Hippocratis testimonio lib. de natura pueri num. 6. sit necessaria sanguinis turbatio, & motus, vt etiam lib. prim. de morbis mulierum aperte docet; igitur sanguis mouendus, concitandus. Id prętant hirudines suo suctu, vt iam est euidens, Ergo hirudines vtero apponendæ, in vsum ducendę.

Quintum, menses mouere nihil aliud est Auicęna Auctore lib. tertio fen. 21. tr. 4. c. 28. quā sanguinem cum fortitudine ad menstrua euocare, quod, & à Gal. probatur lib. de sanguinis mist. & à recentioribus con-

firmatur Fernellio, Mercato, Sennerto, & alijs, vbi de vena secanda agunt in mensium suppressione; Ergo hirudines vtero appositas, quæ non minus quam cucurbitulę iuxta Aetij, Fernelij, Cappiuaccei, & cęterorum sententiam, trahunt ad eam partem sanguinem cui applicantur, immò profundius extrahunt, vt placet Auuicenæ, libr. prim. alibi adducto, menses absolutè mouere statuendum est, & per consequens in eorum suppressione meritò adhibendę.

Sextum. Quando educendi è corpore humores, per ea loca ducendi sunt, ad quæ natura vergit, dummodo conuenientia, iuxta Hippocratis decretum lib. prim. Aph. aph. 21. Ergo muliebria quando subducenda, per vterum, locum conuenientem, & à natura destinatum sunt educenda; Id pręstant optimè hirudines appositę, vt ex dictis est euidens, Ergo &c.

Septimum. Medicus debet semper in suis operationibus naturam rectè operantem imitari; Hæc à venis vteri per anastomosim, vt Medici plerique affirmant, menstruorum molitur euacuationem; Ergo Medicus eodem plane modo menstruum retentum sanguinem debet euacuare; Præstabit id optimè hirudinibus vtero affixis, quę ora venarum aperiunt, vt Cappiuaccius, & Sennertus obseruant locis citatis; Ergo illis debet vti Medicus in menstruo retento sanguine euacuando.

Octauum; Quando pars aliqua corporis malè afficitur, ita vt indigeat euacuatione, à parte affecta, pręmissis vniuersalibus, si opus sit, facienda euacuatio,

Ergo

Ergo vtero malè affecto ob lochiorum, vel mensium retentionem ab ipso euacuandum; Id prȩstant affixȩ hirudines, Ergo &c.

Antecedens probatur Hippocratis auctoritate libr. de loc. in hom. Galeni locis infrà adducendis in responsione ad argumenta opposita; et vniuersaliter omnium Medicorum consensu, qui in Phernitide, Anginá, Ischiade, &c. alijs affectionibus à vena ischiadicá, sub lingua, in fronte, &c. alijs partibus sita sanguinem exhauriunt; Quod et expresit Fernellius lib. 2. meth. cap. 19 vbi scriptum reliquit; *Quum sanguis aliqua in parte inhæsit, ita vt, nec secta vena, nec medicatione reuelli possit, ab ea potissimum parte, quæ offenditur, educendus est remedijs, quæ eidem ipsi parti liberandæ insideant.*

Consequens omni caret difficultate.

Subsumptum est Galeni lib. de cucurbit. &c. scarificatione cap. 22. dicentis. *Hirudines locis affectis applicantur, vel eis qui proximi non pinguibus sunt*, &c. confirmatur ab Auctoribus sæpius citatis, qui ad euacuandas partes affectas hirudinibus vtuntur. Ita Fernellius loco prædicto subdens, *Eiusmodi sunt hirudo, scarificatio, & cucurbitula, quȩ à parte iam læsa sanguinem manifestè exhauriunt*; Ità Capiuaccius in tractatu de febribus de vsu hirudinum asserens *ratione partis si applicentur, vt variȩ sunt partes repletȩ, ita varijs partibus applicandæ.* Sic Mercatus lib. 1. de indic. med. cap. 3. diuersis partibus in diuersis affectionibus apponens; Quemadmodum Augenius de sang. miss. lib. 10. cap. 7. ex propria

& aliorum ſententia, Saxonia de feb. cap. 15. & Perdulcis Ther. lib. 5. cap. 7. vt Zacut. & reliquos ſileam, qui etiam buboni, & Antraci in peſte prodeuntibus maxima cum ægrotantium vtilitate eas affigunt. Ergo &c.

Auctoritate tandem Principum Medicorum hirudinum vallatur actio tali pacto. Venarum vteri aperitio, & per eaſdem menſtrui ſanguinis, & puerperij extractio Hippocr. & Gal. & Principum Medicorum doctrinæ conſona eſt, ab eis fuit imperata, & in vſum ducta; Ergo hirudinum appoſitio, quà mediante ea rectè, et commodè perficiuntur, veluti Principum Medicorum doctrinæ conſona admittenda eſt, & in praxi vſurpanda.

Antecędens Hippocr. auctoritate primùm demonſtratur, eius namque opera euoluentibus manifeſtum apparet, in puerperij, et menſium ſuppreſsione, quãdo ſanguinis retenti euacuationem moliri habuit in animo, & menſtruas purgationes ſuppreſſas euocare, neglecta venarum in talis ſectione à Galeno, & alijs adeò celebrata, ad aperiendas vteri venas, & per eaſdem ſanguinem educendum ſe conuertiſſe; Cognouit enim illam eſſe potius ab vtero diuerſionem, quam per vterum veram, atque legitimam euacuationem, quæ ſupplet quidem menſtruorum defectui, at menſtrua per vterum non prouocat; quod tamen vt magis pateat animaduertendum,

Vel numquam, vel rarò admodum ſectione venarum in talis in muliebrium retentione vſum fuiſſe, &

quan-

quandò venas inferiores secari iussit; non ad euocationem suppressę euacuationis, sed ad materiæ retentę extra vterum peccantis euacuationem, cuius expurgatio per aliam viam commodiùs fieri haud potest, seu ad morbum magnum ex ea iam genitum respexisse; cum enim materia in ijs casibus citò petat educi, morbusque magnus celerimum, ac pręsentaneum postulet auxilium, illi euacuationi, quam aliàs subdititijs medicamentis per venas vteri moliri cosueuit, & non nisi longo temporis spatio perfici potest, locum non relinquunt;

Hac ratione libro primo de morbis mulierum, numero 66. in puerperij retentione, Vbi humor non euacuatus per corpus diffusus morbum constituit summo periculo plenum, & qui mortem mulieri portendat, & ad venę sectionem, & ad purgationem confugiendum consulit; *nam si pletora adsit vena*, ait, *procul dubio secanda, si cachochymia, pharmaco purgandum*; & lib. de Virginum morbis, *tunc solùm detrahendum sanguinem*, inquit *quando non habens effluxum præ multitudine resilit ad cor, & ad septum transuersum, quæ cum repleta fuerint cor fatuum fit*, & cæterę emergunt affectiones ibidem enaratæ; Secus procurandum esse vt apertis proprijs vijs exeat per vterum, vel ex eo deducitur, quod Virgines quam citissimè viris cohabitare iubeat; ità lib. 2. de morb. popul. Stimargi Ancillam, cui ex conuersione osculorum vteri suppressa fuerant lochia, vena iuxta malleolum incisa à morbo liberauit, sanguinis videlicet multitudine, vt animaduertit

duertit Gal. lib. de venæ sect. aduers. Erasist. & lib. de rig. cap. 50. (quæ omnium malorum fons, & origo erat) euacuata.

Verùm vbi de suppresis vteri purgationibus euocandis, ex professo egit, & morbis, qui ex earum retentione oriri solent occurere habuit in animo; neque adfuit vrgens affectio ex immodica venarum repletione subitò tollenda, omissa venarum sectione in talis, seu poplitibus, detractionem sanguinis ab vtero venis eius apertis, aut excesis imperasse, ita euidens est; vt mirum videatur, quommodo Medici Hippocratis doctrinam profitentes illam oscitanter negligant, & Galenum secuti semper in talis, seu poplitibus venã percutiant, nunquam ab ipso vtero, parte affecta; & loco conuenienti tentata euacuatione; cum tamen Dictator summus illam passim suadeat, vbique extollat, & imperet, in lib. siquidem de nat. mul. vt inde exordiar num. 20. *si menses omnino non fiant*, inquit, *siquidem pre dolore id contingat primum ventrem infra purgato, deinde medicamentum à quo sanguis ab vtero expurgetur apponito*; num. 33. *si os Vterorum claudatur spissum fit velut grossus ficus etc. & menses ocultantur, & genituram non suscipit; quum sic habuerit pharmacum deorsum purgans bibendum dato &c. quum autem molle factum fuerit, ea, que sanguinem purgant apponito*, num. 36. *si sanguinis grumini in vtero coierint, os ipsorum Velut eruo plenum fit, & si attingas ita habere deprehendes, & menses non fiunt &c. quum igitur ita habuerit corticem Ciclamini detrahito, & salem, & allium, & ficum, et mellis*

paru-

paruum terito; ac permisceto, & glandulam hinc efformatum ad vterorum os apponitò, & alia vteris conuenientia medicamenta addito, & subdito, quę videlicet acria sunt, & erodunt, & à quibus sanguis purgatur; libr. autem prim. de morb. mulierum. num. 10. *quum menses fuerint occultati dolor habebit imum ventrem, &c. primum igitur ventrem purgare oportet sursum, ac deorsum, deinde vteros subdititio medicamento à quo sanguis purgetur.*

Num. deinde 58. de puerperis incipit verba facere, et varias earum recenset affectiones ex suppræssis lochijs ortas, cumque multa proponat medicamenta, ne verbum quidem habet de venarum sectione, sed subdititia acria sanguinem educentia adhiberi iubet, et libro tandem 2. nec non de sterilibus eadem habet, quæ omnia recensere, in longum nimis protraheret orationem.

Secundò Galeni, qui per vteri venas corpus etiam vniuersum euacuari docuit lib. 9. meth. cap. 5. et medicamenta ad id pręstandum apta descripsit, et eam facultatem illis assignauit; lib. etenim 6. de morb. popul. com. 10. num. 4. exasperantia enumerans medicamenta, eiusmodi sunt, inquit, Pessi per sanguifluas venas purgationes proritantes, & lib. 3. de simp. medic. fac. cap. 20. medicamenta quibus pessi efformantur ad menses mouendos, facultate agere attractoria, et purgatoria scribit; nec obstat quod ijs neglectis venas in talis vt plurimum aperiendas iusserit, illud enim ideo ab eo factum fuisse censendum est,

quod

quod eo modo, & ijs medicamentis à venis vteri optatam sanguinis copiam educi non potuisse fuerit arbitratus, vnde ad alias pertundendas venas animum applicuit, idque in cruribus prꝑstandum docuit, quia proximiores, aut maiorem habentes cum vtero communicationem haud cognouit, vteri namque venas aperiendas profectò iussisset, si modum, & instrumentum aptum, & idoneum magis animaduertisset. Cognouit quippe differentiam inter deriuationem, & riuationem, vt videre est de deriuatione cap. 18. vbi scribit, *quod riuare est per riuos ducere, deriuare, ad latera diuertere;*

Et insuper quod ad hoc, vt non solùm vterus à menstruali materia retenta exinaniatur, sed menstrua quoque verè per legitima loca, per vterum scilicet, prouocari dicantur, riuandam esse materiam, non deriuandam, idque per proprias vteri, non autem per laterales venas. ex quo patet Galenum non latuisse remedium, sed remedij materiam peroptasse.

Tertiò Auuicenæ, quod enim idem senserit Arabũ Princeps manifestè habetur expressum lib. 3. tract. 4. fen. 21. cap. 28. vbi factis alijs euacuationibus suppositoria acria proponit, erodentia, & sanguinem proritantia.

Quartò Pauli, & Aetij, quorum non absimilem fuisse sententiam patet apertissimè apud Paulum lib. 3. cap. 61. & apud Aetium tetrah. 4. serm. 4 cap. 59. et 63. vbi etiam noto, quod hirudines post cucurbitulas scatificatas pectini, & inguinibus imperat apponi non

ausus vtero affigere, cum tamen per ea loca factam suctu hirudinum sanguinis euacuationem vtilissimam agnosceret.

Ex his, vt alios antiquos, & recenriores prætercam, venarum vteri aperitionem, & per easdem sanguinis eductionem Principum medicorum doctrinę consoná esse, ab illis fuisse probatam, ac celebratam, sat arbitror ellucescere. Sed vt hirudinum pręstantia magis efflulgeat, quibus medicamentis id pręstare consueuerint, considerandum; Multa ea fuisse, tum simplicia, tum composita, calida, vt plurimum, erodentia, exulcerantia, ac etiam venenata ex Colocynthide, Elleboro, Scylla, Succo Titimalli, Cantharidibus, et Bupræstis in eorum monumentis legimus, subdititia ex Cantharidibus proponit multis in locis Hippocrates, & presertim lib. de natura mulier. num. 2. 18. et 29. Vbi hæc apposititia acria sanguinem ducentia scriptis prodit, *Cantharides quinque thurri, & myrrhæ admisceto, & glandulam longam magnitudine gallæ efformato, & lana obuolutam linteo albo circumdato &c. aliud, buprestem si parua fuerit totam, si magna dimidiam ad prædicta admisceto*; eodem pariter in loco Titimalli succo, et radice Scyllæ vtitur; Primo de morb. mul. libro num. 100. ad menses promouendos multa pariter profert, & subdititia ad sanguinem educendum huiusmodi parat, *Cantharides quinque demptis pedibus, & capitibus, & myrrham, & thus simul misceto, & mel addito, deinde in oleum rosaceum, aut ægiptium tinge, & hoc per noctem apponat, & Vbi mordet tollat* amplius

 sub-

ſubiungit ibidem, *conducit, & bupreſtis ſiquidem parua fuerit ſine alis, & pedibus, & capite, ſi verò magna fuerit non commiſceto ea, quæ cantharidibus, ſed ſolam ſumito, & ſimiliter apponito;* His, et ſimilibus vſi fuerunt cęteri Medici ad venas vteri aperiendas, vt ſanguini pateret exitus; quibus animaduerſis pro hirudinũ tutella vallidisſimum, ni fallor, conſtruitur argumentum in hunc modum.

In omni medica actione illud ſemper eligendum medicamenrum, quod tutius, citius, atque iucundius optatã perficit operationem; huiuſmodi hirudines ſunt reſpectu cæterorum in extraendo ſanguinem à venis vteri; ergo relictis alijs, hirudines ſunt eligendæ, & omnibus præferendæ.

Maior propoſitio ità euidens eſt, ut non indigeat probatione, illud enim omnibus in confeſſo eſt Medicum ſuum rectè, atque perfectè munus obire, qui tutò, citò, et iucundè perficit curationem, vt eleganter ſuo more exponit Heuurnius lib. 12. Inſti. cap. 3.

Minor per partium diuiſionem probatur, et primò Quod hirudines iucundius venas vteri aperiant, et ſanguinem educant, quam cętera omnia ab Hippo. et reliquis propoſita, et deſcripta medicamenta adeò certũ eſt, vt de eo dubitare ſit ipſum ſenſum negare; quamuis enim dum ore ſuo tricuſpide vulnus infligunt, et oſcula venarum aperiunt, aliquem, et ipſę exibeant doloris ſenſum, tamē, et leuiſſimus eſt, et breui euaneſcit, quemadmodum affirmant Cappiuacc. et Senert. locis adductis, dicentes *minori cum moleſtia euacuare, quam cucurbitu-*

bitulas, nec non Claudinus lib. pri. de Ingref. ad infirmos cap. 5. afferens; *fine moleſtia ſanguinem educere, ad differentiã cucurbitularum, quæ cum aliquo dolore, et cruciatu*, et vno ore mulieres teſtãtur, quæ hirudines vtero appoſitas iam fuerunt expertæ: et eò magis ſi cum doloribus, & cruciatibus, quos erodentia, & exulcerantia medicamenta, pręcipuè ex cantharidibus parata, ſolent inferre, fiat comparatio, qui ſanè, & diuturniores ſunt, cum non niſi longo temporis ſpatio ſuum opus perficiant, ut ex Hippocrate cõſtat, qui vel per diem ac noctẽ ea relinquenda in vtero eſſe monet, & multò intenſiores ac ſęuiores, vt aſsiduis gemitibus, & querellis teſtantur Ægri quibus vel partibꝰ externis non adeò exqiſito ſenſu preditis ea apponuntur, qui ſe dilaniari, adurri, & veluti purgatorio igne torqueri aſsiduè clamitant.

Quod autẽ citius, res ipſa manifeſtè teſtatur, ſanguinẽ enim hirudines illicò attrahere, & veluti Siphonibus ſuctu exhaurire intuentibus illuceſcit, ita vt vnius, vel alterius horę ſpatio optata ſanguinis quantitas poſsit educi, pręſertim ſi calida, & apta fomenta adhibeantur, aut alia medicamenta quæ pręcipit Oribaſ. lib. 7. collect. c. 17. quemadmodũ vbi apponutur ſedalibus venis fieri ſolet; hoc etenim modo Iuuenculæ ob ſuppreſsas mẽſtruas euacuationes malè habenti breuiſsimo temporis ſpatio ſanguinem ad lib. vnam, & amplius extractum vidi, quo poſtea tota diè, et ſequenti nocte ſenſim extillante ab vtero, ut in conſueta naturali euacuatione fieri conſueuit, eius euacuationis ope ab omnibus affectionibus prauis, quibus premebatur libera euaſit.

 Cum

Cum pessi è contrà, Virginibus etiā incongrui, vel ab erodentibus, & exulcerantibus parati medicamentis tardè, & segnitèr admodum suum opus perficiant, adeò vt per multum tempus in vtero sint relinquendi, vt ex Hippocrate nupèr asserebamus.

Quod deniquè tutiùs, si cum prædictis conferantur medicamentis, certius adhuc existit, nullam enim malam inferunt, aut imprimunt qualitatem; si rectè paratæ sint, et ritè expurgatæ, vt Augenius, et Claudinus locis citatis, et cæteri Medici, confutatis antiquorum sententijs, tenent; non exulcerant, non inflāmant, nec alia praua Simpthomata inducunt, vnde cuilibet corporis parti applicari posse, et omnibus mēbris, capiti, faciei, naso, linguæ, renibus, et intestinis affirmant Actuarius lib. 3. meth. cap. 3. Augenius lib. 10. de sang. miss. cap. 7. Mercatus lib. prim. de Indi. medi. cap 3. Zacut. lib. prim. de medico. Princip. histo. histo. 4. alijque viri doctissimi pluries adducti, tantumque abest quod noceant, aut lędant, quin potius semper prosint, eodem Actuario teste, ęgros subleuent, multaque bona producant; in cuius confirmationem illud obiter referam, quod narrauit mihi Mulier, cui primū meo iussu fuerunt appositę, fassa est illa, se non solum nullum damnum vel noxam ex illis contraxisse, verùm cum antea, & cum adhuc esset virgo tempore menstruorum doloribus, & cruciatibus circa regionem vteri vexari solita esset, post huius remedij vsum omnes euanuisse, adeò vt ab eo tempore consueta prospetè, absque vllo incommodo, aut prauo affectu semper

per

per ſibi ſucceſserit muliebrium euacuatio; Cum ex aliorum è contra vehementia periculum eſſe inflãmationum, vlcerum, ac febrium, & notum ſit, & Aetius idem obſeruet locis adductis.

At, non ſolum facta cum prædictis medicamentis hirudinum comparatione, earum vſus tutior cenſendus eſt, & multò fœlicior, ſed abſolutè omni carere noxa, & longè pręſtantiorem eſſe quocunque alio mędicamento ad ſanguinem ab vtero extrahendum paratо, ſtatuendum arbitror; Quod in ſolutione argumentorum, quæ contra eaſdem constructa, & alata fuere, modò oſtendere aggredior, quorum primum fuit;

Hirudines non poſſunt eas aperire venas, quæ ſanguinem educunt menſtruum, ac puerperium, cum, vt in Sectionibus anatomicis obſeruatur, non ęędem ſint venæ, quę nimphis proximè excurrunt, & ab hirudinibus vulnerantur, ac illę, quæ menſtrum proiciunt ſanguinem, ac puerperium. Ergo inanis, & nullius ponderis eſt in horum ſuppreſsione ipſarum vſus.

Quod argumentum, licèt prima fronte fortaſſe non contemnendum, nullius eſt roboris, cum ſit ex falſis ſuppoſitis perperam concinnatum; ſupponit enim non poſſe attingere hirudines illas venas, quæ ſanguinem educunt menſtruum, ac puerperium, & tamen venæ ad vteri orificium, & vaginam peruenientes eędem ſunt cum venis, quæ per corpus vteri excurrunt, ac diſſeminantur, vt probant Anatomici inſignes Valuerdus, Vidus Vidius, Laurentius, Vuislingus, & Bartolinus, vbi de vteri anatome; Et autopſia, quæ

non

non poteſt decipere patet manifeſtiſsimè , ex duabus enim venis ad vteri corpus peruenientibus, ſicut ſpermatica per vteri tubas Falloppianas diſpegitur, atque per ſubſtantiā inter tunicam, & tunicam ferè deperditur, ita hippogaſtrica copioſum deferens ſanguinem ad vaginam deſcendit, cuius rami capacitatis non exiguę per eandem, etiam infrà hymen vſque ad vuluæ orificium diſſeminantur, per quos tamquam per riuulos, vteri vena magna ſanguinem fundit, & extrà mittit, vt in vtero gerentibus menſtruatis liquidò apparet, & qui negāt hanc, aliam inueniant, ſi norint, harum venarum originem; Quæ cum ità ſint, falſum eſſe argumenti antecedens euidens eſt, vnde, & corruit neceſſario conſequens, & obiectio diſſoluitur.

Porrò, & hìc Obiter animaduertendum, ob eandem rationem neque venatum in talis, aut poplitibus ſectionem, ab Aduerſarijs maximè probatam, nec femorum ſcarificationes, in menſium ſuppreſsione fore admittendas, vnde contrà ſe ipſos militat argumentum; Et ratio clariſsima eſt, cum venas nec ipſæ aperiant muliebria deferentes, & tamen à Galeno, & alijs Medicis probantur, & admittuntur, ea ſolùm ratione, quod ſanguinem ad Inferiores partes trahendo, ducant fortaſſe ad vterum; Quod ſanè multò fęlicius præſtant affixæ hirudines; ſectio namque venarum in talis, ſeu poplitibus attrahit quidem ſanguinem ad partes infernas, ſed non minus ad ani venas quam ad vterum; Quare Gal. lib de ſang. miſſ. & alibi eaſdem ſecari iubet, quando hęmmorroides velimus

limus prouocare ; at hirudines vtero appositas recto ducere tramite sanguinem ad eam partem nemo non videt, ideòque hac etiam solum ratione prędictæ indicationi melius satisfacere, longèque vtiliorem censendum esse earum vsum, nullus ibit inficias.

Omitto, quod, dato etiam non attingere hirudines illas venas, quæ menstruum deferunt sanguinem, ac puerperiũ, quod tamen falsum esse ex dictis constat, illas tamẽ aperiunt, quæ eisdem proximiores sunt, et cum ipsis cõmunicantes, et illud est quod præcipit Galenus lib. de Saguinis miss. cap. 19. dicens *si nequeat fieri euacuatio ab affectis partibus fiat ex vicinis*, & paulò infrà, *euacuabitur porrò quòd parti infixum est optimè per venas coniunctas cum ijs, quæ in partibus sitæ sunt*, & lib. 4. meth. med. cap. 6. de sent. Hippocratis *materiam fixam in laborante particula vel educendam ab ipsa, vel à maximè vicina*, & tandem lib. de rigore *quod si affectæ parti succurrendum sit, venæ, quę cum affecta parte communicant sunt incidendę*.

Erat huiusmodi secundum ; vel corpus ægrotantis est pletoricum, vel cachochymum, vel medium; In horum nullo hirudines conueniunt, Ergo &c.

Minoris propositionis singulæ confirmabantur partes; quocirca singillatim considerandæ, & argumentum per partes dissoluendum.

Dicebatur primò, Quando corpus est pletoricum, è talo hauriendus est sanguis vel Zacuti sententia, Igitur hirudines vtero affixæ hìc locum non habent.

Admitto antecedens, qui scio, ita à Galeno edoctus

ctus lib. artis medicinalis cap. 95. quod si corpus vniuersum plus ęquo pletoricum fuerit, per patientem locum minimè euacuandum, & cõmune præceptum esse ab eodem relatum lib. 3. de locis affectis, quod in omnibus seruare oportet, *vniuersi corporis præmittendam esse euacuationem*, & lib. 4. meth. cap. 4. accusari insitiæ Tessalum, eo quod parti remedia adhibuerit, antequam totum corpus vacuum reddiderit, & ideò pletorico existente corpore ægrotantis, antequam ad vteri euacuationem per hirudines deueniatur vniuersalem plenitudinem secta vel in talis vt placuit Zacuto cum Galeno, vel in brachio, vt voluit Mercat. ex Aetij consilio, vena (vtraque enim vniuersalem plenitudinem demere est apta, eodem Gal. auctore lib. 2. acut. tex. 10. & lib. de Sanguinis miss. cap. 19.) deponere satius existimo;

Nego tamen consequens, nam vniuersæ plenitudinis leuata sarcina, ad vteri depletionem deueniendum esse, veluti ad affectam partem, & docet methodus, & à Gal. declaratur lib. artis medicinalis vbi legitur *vniuersali euacuata plenitudine; id ipsum quod reliquum est per patientem locum euacuandum*; Quod cum præstare valeant omnium optimè hirudines appositę in nostro casu, eas in supressis menstruis, & puerperio, etiam pletorico existente corpore, locum habere, liquidò constat, ea tantum lege seruata, quod plenitudo vniuersalis per sectam venam prius minuatur, deinde affixis hirudinibus vterus euacuetur.

Secundò, Cachochymum corpus medicamento est expur-

expurgandum iuxta Hippocratis, & Galeni placitum ſect. 5. aphoriſ. tex. 36. & alibi, Ergo.

Verùm hoc antecedens, & ſi poſſet admitti, & ita concedere in corpore cachochymo non habere locum ſanguinis miſsionem, & quod conſequens eſt hirudinum appoſitionem, vt ſuprà fuit obiter datum; tamen cum non ſit perpetuò verum, quamuis ex Hippocratis, & Galeni doctrina deſumptum videatur, libet in præſenti illud negare, & ita hanc etiam argumenti partem infringere, ac debellare.

Negationis autem ratio ex eo deducitur, quod licèt verum ſit in cacochymia conueniens eſſe præſidium purgationem, multoties tamen etiam expedit ſanguinem mittere, quãdo videlicet ex aliqua ſuppreſſa menſium, vel hęmmorrhoidũ euacuatione originem ducat, ita docet Hippocrates lib. 4. acutorum tex. 111. vbi de anaſarca inquiens, *ſi difficulter ſpirauerit, fuerit anni tempus ęſtiuum, vigeat ętas &c. ſanguinem è brachio tolles*, Cuius ſententiam illuſtrans eius interpres Gal. in comm. ſubdit *nempe hic ſolus quum incipit eget interdum ſanguinis detractione, quum ſcilicèt ex retentione hæmmorrhoidum, vel muliebrium, vel ex quappiam pletorica cauſa incęperit*, Ad quæ deinde reſpicens lib. de venæ ſectione aduerſus Eraſiſtratum ſcriptum reliquit, *Ego autem non ſolum hæc, ſed etiam ſpaſmum, hydropemque ſanguinis euacuatione ſępius ſum medicatus*. Idem affirmat Auuicena lib. 3. fen. 14. tr. 4. cap. 12. de cura cachexiæ, *fugiendam eſſe*, dicens, *quantum poſſibile eſt phlebotomiam, ſed ſi fuerit neceſſaria propter repletionem ſanguinis*

F nis

nis aude super eam cum timore, & paulò post, *& quum plus necessaria est Phlebotomia est quādo causa est ex retentione sanguinis vel hæmmorrhoidum, vel menstrui*. Idem fatentur Paulus lib. 3. cap. 47. Celsus lib. 2. cap. 9. Alijque Viri doctisimi, & apud saniores Medicos hodiè non controuertitur, vt videre est apud practicos, & Io: Baptistam Magatum lib. prim. considerationum medicarum de hoc argumento doctisime disputantem;

Ex quibus, pro negatione oppositi argumenti breuiter expositis, vallidisimum eruitur pro hirudinibus in hunc modum; In cacochymia, in qua aliàs non videtur conuenire sanguinis extractio, tunc tamen conuenit, quando suppressa est mensium euacuatio; Igitur ea sanguinis misio celebranda, quæ menstruæ euacuationis defectum valet supplere, & vterum à quo retentus sanguis resiliens ad venas, & iecur calorem natiuum obruit, & opprimit, vnde cachexia, deplere, & expurgare; huiusmodi ea est, quæ per hirudines habetur vtero affixas, Igitur in Cachochymia aliquando etiam possunt habere locum hirudines vtero appositę; Pro cuius confirmatione, liceat mihi casum referre memoria non indignum, Laborabat mense Decembri anni 1659. D. Patientia N.N Ebrei Guastallensis vxor ætatis annorum xxxiiij. temperamenti pituitosi, cachexia ex mensium supprępsione oborta, Quattuor erant menses elapsi, ex quo purgatio consueta fuerat omninò retenta, intumuerunt pedes primùm, mox crura, & coxæ, tandemque manus,

nus, & facies, & malo adeò corporis habitu, & colore erat deturpata, vt in leucophlegmatiam, iam lapsa iudicaretur; accersitus ab eius viro, curationem in casu difficilimo, media licèt hyeme frigidissima, aggredior, medicamentis corpus expurgo, alterantia, deobstruentia, & corroborantia ex arte præscribo, sed perseuerante morbo à calidis vaporibus ab imo ventre, vt aiebat, ascendentibus, cum caput infestaretur, venam in talo aperiri iubeo; pertentat Chyrurgus, sed frustrà, adeò enim tumefacti erant pedes, vt vena non potuerit attingi; duas ergo hirudines filo more solito appensas vtero apponi iubeo, ex quibus sufficienti sanguinis educta quantitate, melius cœpit habere, & tandem alijs præscriptis medicamentis perfectè sanata fuit.

Tertiò, mediũ corpus vocatur, quod descripsit Galenus lib. 6. epidem sect. 3. com. 29. mulieris illius, quę per octo menses purgationis menstruę suppresione laborabat, & erat extenuatissima, & habitus melancolici, & cum in eo casu missus fuerit sanguis è talo, vt Galenus testatur, in corpore medio hoc modo, non hirudinibus hauriendum esse sanguinem inde deducitur.

Huic respondetur, medium corpus perperàm vocari illud mulieris à Galeno descriptę, quam melancolica cacochymia laborasse ex suppressis mensibus orta potius statuendum, referente Galeno quod *eminebant ipsius venæ sanguinis plenę, colore liuidę, resciſſoque Vasculo liquidæ pici, colore, & craſſitudine similem sanguinem*

guinem

guinem emanasse. Quo in casu, cacochymia videlicet præsertim melancolica venas occupante, venarum sectione, quę illam auferre valet rectè vsum fuisse Galenum, docent adducti Auctores, vbi de cacochymia, & factum ab Hippo. legimus lib. 5. epid. in viro in Oeniadis; quare nihil descripta mulier ad argumentum.

Per medium etenim corpus illud potius intelligendum, in quo non boni tantum, aut praui exuperant succi, sed in quo praui simul, & boni abundant, & vel pletoriam, vel cacochymiam à recentioribus notham appellatam constituunt, quo in statu ad euocandos menses, aut puerperium venarum inferiorum sectionem nihil conferre, hirudinum autem appositionem quam maximè prodesse considerantibus fiet manifestum;

Quommodo enim fieri potest, vt puerperium, & menses trahat ad vterum, vt sanguinem in eo pręexistentem protrudant, quo pacto menstruas purgationes procedere ex Hippocrate ostensum est, venarum in cruribus incisio, quæ ab vtero deriuat Galeni testimonio lib. 2. de arte curat ad clauconum cap. 2? qui ob eam rationem in vtero inflammationem patiente easdem secari iussit lib. 13. meth. cap. 11. sunt enim diuersę operationes, & contrarij motus riuare ad vterum, & ab vtero deriuare, trahere ad vterum sanguinem, & illum ab vtero auuertere. Riuare enim ipso Gal. auct. lib. de deriu. c. 18. superius adducto est per riuos ducere, deriuare vero à riuis ad latera diuer-

tere, nihil autem aliud est menses mouere, quam sanguinem ad vterum riuare, & trahere, & repleri vteri venas; Deriuare verò ab vtero retrahere, & inanire eius venas, non per ipsum vterũ, sed per scissam vená, & vt idem exponit lib. 5. meth. cap. 3. et alibi, ab vtero auuertere, cum deriuatio sit auuersio ad proxima, non attractio ad partem, vt modò dicebatur.

Quod, idem demonsttatur anatome, qua ostenditur quõmodo à vena caua, et vteri, & crurum venę diducantur, & quommodo inter se coeant.

Et hinc ressultat non leuis difficultas, & contradictio in Galeni dictis, & error fortasse grauior in medicina exercenda, cum omnes ferè Medici Galeni pręcepto nimis obstinatè addicti semper in mensium suppresione venas in talis secent, quod quam absurdum sit, à ratione alienum, & ęgrotantibus fœminis nocuum, patet considerantibus.

Ab ijs, vt se se expedirent Iacchinus, & Mercatus viri doctissimi, hęc scriptis mandarunt, *negari igitur nequit*, ità Iacchinus loquitur com. in 9. Ras. cap. 66. *quin venæ tali sectæ sanguinem à supernis ad inferna conuertant, & trahant, sed non magis ad vterum, quam ad sedis venas, vt & Gal. docuit cum dixit libro de venę sectione, si prouocare hemmorhoides voles crurum venas secabis, sed ad crura potius deducent vacui ratione, quam ad vterum; hinc fit, vt in corpore pleno aliquid promouere possint ad venas vteri replendas, at vbi non multus sit sanguis, fortè cohibebunt, quod & apertè experientia*

tia monstrat. Aliquando enim vidimus cum cępissent secta vena cohiberi, aliquando verò promoueri; cur igitur hìc secantur ad promouendum? an quia obstructione liberant? Unde ex accidenti saltem iuuabunt, tametsi per se trahendo non iuuent, & euacuando ab vtero.

Quibus prorsus similia sunt, quæ habet Mercatus lib. prim. de morb. mul. cap. 9. vnde videtur alter ab altero transcripsisse; an autem prędictas difficultates, & contradictiones ità euadant, & proprium sensum sat explicent, sapientum virorum iuditio decernendum relinquo, ego enim, vt ingenuè fatear, non possum aquiescere; nec multum difficilè agnosco in eorum dictis inuenire contradictiones, ne dicam in medendo errata; quōmodo namque potuerit Iacchinus recta seruata meth. in mensium suppresione eo vti præsidio, quod per accidens iuuat, & per se non iuuat, sed potius obest, mente asequi nequeo.

Sed quidquid sit de hoc, exdictis pro mea sententia colligo, vel non conuenire uenarum inferiorum sectiones pro euocandis uteri purgationibus, eo quod ab utero deriuent, uel conuenire solum iuxtà earum fautorum sententias, dum copiosior est sanguis, quod idem est ac dicere, dum corpus est pletoricum, ac ideò in casu nostro corpore medio modo se habente, nihil conferre, quinimmo pauco existente in corpore sanguine incipientem alioquin excretionem deriuādo supprimere, & ita maximè lædere.

At non solum in corpore medio, sed in quocunq; si Martiano Hippocretis interpreti solertisimo fides haben-

habenda. Dicebat ille in comm. lib. prim. de morb. mulier. sect. 2. vers. 279. *verùm non minus delinquunt Medici, dum in suppressione menstruorum venas in talo secant Galenum secuti libro de cur. rat. per sang. miss. contra summi Præceptoris institutum, qui numquam ad menses suppreßos venæ sectione est usus, idque summa ratione, quia cum venæ sectio per se causam suppressionis non respiciat hæc frustra adhibetur, immò dempta per eam plenitudine, ac multitudine, qua vigente, ac impellente natura sponte uterum ad sanam naturam sæpe reducit, indeque via aperitur mensibus, vt apertè testatur lib. de natura pueri Eruptio difficillior redditur, & eo magis quia absque copia non fit turbatio in sanguine, à qua menstruorum periodus dependet, teste Hippocr. lib. nuper educto num. 6. quapropter venę sectio copiam auferendo, & à partibus potissimum inferioribus, menstrua inhibere potius quam euocare potest, quod experientia ipsa manifestat nullus enim affirmabit vena in maleolis incisa per eam menses erupisse, licèt sæpè obseruauerit secta in alium finem cubiti vena aliquando erupisse eadem ipsa die, & ratio est, quia per eam non statim plenitudo tollitur à partibus inferioribus, à qua menstruorum fluxus dependet, ita vt humorum agitatio ex venæ sectione eos facilè concitare potuerit.*

Hæc Martianus; ex quibus nihil confere venarum inferiorum incisionem in corpore medio magis adhuc probatur; è contrà vero cum appositio hirudinum trahat ad vterum, motum conciliet sanguini, vt turbetur, & facto impetu erumpat, oscula venarum aperiat, per quæ illi pateat exitus, vt iam satis osten-

ſum eſt, eam in puerperij, & menſium ſuppreſsione vtiliſsimam eſſe inficiabitur nemo.

Additur præterea contra hirudines, data etiam particulari vteri pletoria, quę ſicut in cęteris partibus de facto datur, adhuc hirudines inutiles exiſtunt, dicente magiſtro libro de euacuandi rat. per ſanguinis miſſ. *plenitudines omnes ex ſuppreſsis menſibus ortas per crura euacuabis, ſiue ſcarificare, ſiuè venam ſecare conueniat*, Ergo &c.

Sed facilis eſt reſponſio ex his, quæ ſuperius ſunt dicta, earū ſcil. venarum inciſionem, ſeu ſcarificationem Galenum præcepiſſe, quia proximiores, & cum vtero magis communicantes non agnouit.

Data namque particulari vteri plenitudine, quam rectè deſcribit Galenus 6. de morbis Vulg. com. prim. num. 20. dicens, *inter omnes corporis partes plurimas grandiſsimaſque venas vteri habent, cum que eas aut menſes, aut à partu ſuppreſſa purgamenta, aut phlegmone aliqua vtcunque orta malè accipiunt, ipſos ſanguine repleri neceſſum eſt &c.* ea procul dubio tolenda; At ad illud pręſtandum nullum haberi poſſe præſtantius, & aptius præſidium hirudinibus ex alatis conſtat; ſiue enim conſiſtat ſanguis in vteri venis, ab illis ĩmediatè euacuant, vt ex Anatome deſſumpta demonſtratione fuit comprobatum, ſiue in vteri cauitate collectus ſit, & ibi non expellente natura quieſcat immobilis, irritata hirudinum ſuctu eadem natura, & expultrice laceſsita facultate; nouoque attracto ſanguine fiet expulſio, vt autoritate Hippocratis alata oſtendimus eueni-

euenire, præsertim si alijs adhibitis medicamentis sanguis fluxibilior reddatur, vt monuit Oribasius, et viæ patentiores.

Et ad Galeni auctoritatem, plenitudines omnes ex suppressis mensibus ortas per crura euacuari, determinantem, rursus respondeo, quod si de plenitudine vniuersali corporis tollenda sermo sit, pro nunc cum Galeno non pugno, cum omnis vena sit apta illam exaurire, si de particulari in vtero existente euacuanda, pace viri clarissimi eius auctoritati non possum assentiri, aptiores namque sunt viæ euacuationi vteri venæ, vt sensus, & ratio docent, & summi Dictatoris doctrina suadet, quam in hac parte Galenus non est secutus.

Tertiò dicebatur, multis est obnoxia difficultatibus hirudinum operatio, verendum ne in vteri sinum irrumpat hirudo, aut in meatum vrinarium, hęmmorhagiam excitet, intemperiem inducat, inflammationem, tumorem Scyrrhoticum; quæ singula examinanda, & euertenda.

Conceditur quidem primò, quod si in vterum, aut meatum vrinarium ingrederetur hirudo, multa posset inferre damna, eaque grauissima; quemadmodum si in nares, aut intestina irrepserit euenisse compertum est; verum ob id nequaquam damnanda, & deserenda est hęc operatio, cum neque his rationibus omittatur in naribus, & intestinis, ea enim non est hirudinum culpa, sed artificis, & ministri segniter, ac imprudenter eas adhibentis, quod si ad ministro-

rum errores esset respiciendum, cum non minus contingere posint in venę sectione, vt Hercules Saxonia notat tractat. defeb. cap. 25. ea pariter esset relinquenda, quare dum peritus habeatur, ac solers Chirurgus, vel Obstetrix, aut alia mulier in operibus artis satis versata, hirudines filo appendantur, rectè, & attentè apponantur, vt suo loco docebitur, earũ suctu, & motus obseruentur hæc omnia euitari pericula certò certiùs existit; præterquamquod, si in vterum penetraret hirudo (quod tamen absit) non esset fortasse difficilè eam educere, eisdem medicamentis, quibus vel è gutture, & stomaco educi docent Dioscorides lib. 6 cap. 32. & Paulus ab Egina lib. 5. cap. 37. & ab intestinis etiam euocari Medici norunt; frustrà igitur timetur hoc malum, quod nec ab hirudinibus per se dependet, & operantis artificis solercia tutò auertitur.

Quod ad hæmorrhagiam spectat, si hoc malum ab hirudinis in vterum ingressu quis vereatur, ex dictis sublatus est timor; si à suctu hirudinum respondeo, sanguinis vt ingenuè fatear, insignem aliquando emanasse mediante hirudinum suctione ab vtero copiam me obseruasse, tamen spontè etiam sua exonerata natura à copia, qua impellente fluebat, stetisse humorem, & fuisse cohibitam euacuationem animaduerti; hocque periculum arceri posse, si plenitudo vniuersalis quando adest, per sectam venam prius minuatur, omninò censeo. Et, vel hęmorrhagia ex concursu sanguinis imminet, vel à vulneribus hirudinum,

ſi dicatur,quod ex ſanguinis concurſu deorſum impetu ad vterum attracto, idem incõmodum impendet ex ſectione venarum in talis, ſeù poplitibus, aut appoſitione cucurbitularum, quæ non minus rapiunt ad inferiora ſanguinem Galeni teſtimonio; ſed nemo eſt qui dubitet in illis caſibus, ergo nec in prçſenti ambigere quiſpiam debet;

Si ex vulneribus, ab hçmmorrhoidibus etiam hoc nomine ableganda eſſet earum operatio, cum non minus negotij faceſſat immodica ſanguinis fluxio per venas ſedales, quam Galenus lib. de ſang. miſſ. cap. 19. periculoſam eſſe, & 4. aphoriſmi com. 25. nec non lib. 3. de natural. facult. cap. 28. protinus vel interimere, vel ad cachexiam, aut hydropem perducere teſtatum reliquit, & tamen maxima cum ægrorum vtilitate quotidiè celebratur. Nam ſi ſanguinem immodicè effundant vulnuſcula hirudinum, aptis medicamentis à Gal. et alijs propoſitis poſſunt cohiberi, & citò conſolidari; quæ eadem vtero applicari poſſe nemo non videt, quando in immodica menſtrui, vel puerperij effuſione id paſsim efficere in praxi ſoleant Medici.

Inflammationis verò, atque intemperiei nulla poteſt ex hirudinibus emergere ſuſpicio, nullam enim qualitatem ex ſe effundunt; tantumque abeſt quod inflammare queant, vt Gal. et Oribaſius eas frigidas ſtatuant, & partem cui fuerunt appoſitæ fouendam eſſe, & calefaciendam, vt frigiditas remoueatur, imperent.

Quod si dicatur, id euenire posse ob sanguinis attractionem, animaduertatur, quod modò fuit dictum, deposita videlicet vniuersali plenitudine non esse pertimescendam nimiam attractionem sanguinis ad vterum, eumque, qui attrahitur (quidquid Acutor quidam somniauerit) per vulnera etiam exire, vnde non potest inducere inflammationem. Sed non veritus fuit Hippocretes Titimali succum, Cantharides, scyllam, Buprestes, ex quorum vehementia periculum esse inflammationum, vlcerum, & febrium obseruat Aetius, confirmat Mercatus, & est per se notum (tanti erat apud illum ea operatio) & nos hirudines horrebimus? Amplius non ne tumentibus, & inflammatis etiam hæmmorrhoidibus, vniuersalibus præmissis, hirudines maxima cum vtilitate apponunt Medici, vt idem Mercatus, & Sennertus affirmant? frustra igitur inflammationem ab ipsis excitari posse dubitatur.

Idem dicendum est de tumore scyrrotico, non enim tenuem tantum, ac serosum sanguinem, vt fuit Antiquorum opinio, hirudines euacuant, sed crassum, & fæculentũ, eiusmodi tumorem producere aptè natum, vt Cappiuaccius, Augenius, Claudinus, & alij viri doctißimi testantur, & in praxi obseruatur.

Insuper sanguinem ad vterum confluentem ab eo pariter eggredi euidens est, vnde non potest indurari, aut in trombos concrescere, vt fuit etiam dubitatum;

Quod si de eius retrocesſione, aut retentione in vteri cauitate suspicio insurgeret, fomentis aptis, &

alijs

alijs ex Oribaſij conſilio, & methodo medicamentis attenuato, & fluxibiliori reddito humore, vijſque patentioribus diſcrimen euitabitur; & imminet hoc, non ſolùm in hirudinum ſuctione, ſed in quacunque ſanguinis tractione ad vterum, eòque magis, ſi per ſectam in talis venam, cucurbitulas, & alia huiuſmodi præſidia fiat, quibus non aperiuntur venarum deinde oſcula, vt ſanguini confluxo concedatur exitus; & tamen ijs præſidijs abſque vllo diſcrimine Practici quotidie vtuntur.

Verebantur deinde, ne hirudinum operatio infœcundum vterum redderet; ſed qua ratione id contingere poſſet non explicabant; quare fictus erat timor, inanis formido. Certum eſt enim, quidquid nonnulli ex Antiquioribus de earum malitia ſcripſerint, eas quibus nos vtimur, omni carere venenoſitate, nullamque prauam effundere qualitatem, dum proba earum facta electio fuerit, & expurgatio; ſed iam experientia omnem dubitandi anſam ſuſtulit, Mulieres enim, quibus meo conſilio iam fuerunt appoſitę, fœcundas ſe oſtenderunt, ex eo namque tempore, quo primùm hæc ſcriptis traddidi, vſque in pręſens, & maſculos, & fœmminas fœliciſsimè emiſerunt in lucem.

Aiebant præterea, ſi ſanguis à parte affecta hauriendus, ab ilibus potius educendus, illis ſiquidem in partibus in antiqua menſtruorũ ſuppreſsione nonnunquam tumor excitatur, & panus exoritur, vt Galenus animaduertit lib. 6. de loc. aff. cap. 5. quocirca ſi naturam velimus imitari, & quò natura vergit eò

duce-

ducere, iuxtà Hippo. decretum inde ſanguis trahendus.

Sed falſæ obiectioni, facilis eſt reſponſio; conceditur quidem medicum iubente Hippo. naturam immitari eamque omnes homines tamquam ducem, et Deam debere ſequi, teſte Cicerone lib. de ſenectute, ſed rectè operantem, vt in 7. noſtro argumento fuit explicatum, et ideò dum per vteri venas, vias ſibi conſuetas, et conuenientes molitur euacuationem, et non quando in ilibus abſceſſu facto aberrat, et panum inducit. Quinimmò ſi proprio muneri nequeat ſatisfacere auxilium à medico ferendum, et hìcque obſeruandum Gal. eo loci aſſerere *tumorem in ilibus tunc facere naturam, quando longiori tempore ſupprimuntur menſtrua, nullamque medicus mulieri purgationem offert*; ità admonendo Medicos, vt menſtruis ſuppreſsis mulieri purgationem adhibeat, ne fiant in ilibus affectus præter naturam tumores, & pani; Nomine autem purgationis ſanguinis etiam extractio poteſt intelligi, iuxtà Hippo. morem in lib. de morb. mulie. & hæc vel à toto facienda, vel à parte, & ſi à parte, ab ea profectò per quam ſecundum naturam procedere conſueuit; eiuſmodi ſunt venæ vteri, non ilia, igitur non ab ilibus, ſed ab vteri venis purgatio eſt peragenda.

Vteri tandem aſſerebant ſectiones numquam tentandæ, dicente Magiſtro loco nuper adducto, vteri ſectiones maiori cum difficultate conglutinari; igitur abijciendæ hirudines, quę vterum vulnerando ſecant.

At Corruit etiam facillimè poſtrema obiectio; Quem

Quem etenim latet mala quę timet Galenus in vteri ſectionibus in noſtro caſu locum non habere, cum hirudinum vulnera perexigua ſint, ſectionibus haud comparanda, & facili negotio ex ſe occaleſcentia, quod & feciſſe in vtero, experientia oſtendit.

Præterquam quod, & obiter ſit dictum, vterus etiam tutò ſecari poteſt, vt Franciſcus Rouſetus, & Gaſpar Bahuinus de partu cæſareo oſtendunt, Valleriola lib. 5. obſeruationum affirmat, & Laurentius lib. 8. ſuæ Anatomiæ queſt. 32. ex Pauli ab Ægina ſententia ſcribentis *ſi proceſſu temporis id vteri quod prolapſum eſt putredinem fuerit expertum id ipſum auferatur nullius metu periculi, etenim vulua vniuerſim oblata vbi computruerat mulierem ſuperuixiße commemorāt*. His pro ſolutione Argumentorum quæ contra hirudinum operationem fuerunt adducta, ſatis, ſuperque expoſitis, Reliquum eſt vt rectus vtendi modus, qui ſparſim ſupra habetur, breuibus perſtringatur, clarius explicet.

Vbi igitur mulier ſe offerat menſtruorum, vel puerperij laborans ſuppreſsione, & prauis ex ea obortis affectionibus miſerè conflictata, præhabita, ſi opus ſit, totius prouidentia in lecto decumbat, ibique retractis paululum, atque diductis cruribus, ſupina iaceat; Mulier deinde in artis operibus ſatis inſtructa, vt ſolent eſſe Obſtetrices, muliebria loca externè, atque internè optimè detergat, & abluat, omneſque ſordes auferat, aqua calida, cui modicum Vini optimi addere, non erit inutile, cum vino delectentur ea animalcula; facta præterea hirudinum quæ rectè,

&

& ex arte paratæ sint, ac expurgatæ, proba ellectione, filo, nec nimis tenui, ne incidantur, nec nimis crasso, vt satis posint adstringi, illas in inferiori parte alliget, filo appendat; diductis mox, & apertis pudendi labijs, interiorem partem lineo panno, vel spongiola eadem aqua imbuta fricet, ac foueat, donec quoquo pacto intumescat, atque rubescat, quo peracto hirudines iam filo appensas panno lineo inuoluat, ita tamen vt caput extra emineat, & loco interiori rubicundiori reddito, & tumidiori illas vtrinque cautè, & attentè admoueat, earumque iugiter motum, & suctionem obseruet, nec illas deserat, donec vulnus inflixisse, & sanguinem exugere cępisse animaduertat; Quod si recusarent, locum prius detersum vel Aqua frigida tangat, sanguine, vel lacte, aut luto aquoso obliniat; his enim ad suggendum magis prolectantur, & facilius adhęrent.

Vbi adhæserint, sinantur, vt suo fungantur munere, ad quod pręstandum vinculum, quo iam fuerunt adstrictę non minimum confert, ita enim adligatę, vt notat Vir doctisimus, arctius adhęrent, ictum ferociorem infligunt, & vehementius sanguinem sugunt; vt tamen promptius etiã id præstare valeant, & ne frigidior aer, sanguinis confluxum prohibeat, tegenda tunc patiens, & locus vbi appositę sunt hirudines calidus conseruandus, quod pannis lineis calidis sæpius appositis consequi licebit.

Facta suctione sanguinis, repletę hirudines ex se spontè decident; quodsi velimus eas prius retrahere,

re, vel cinere, vel ſale ſuper aſperſo id illicò pręſtari vel mulierculis eſt notum.

Porrò, cum ſpontè exciderint, ſi maiorem quantitatem ſanguinis effluere velimus, quam ipſæ ſuxerint, duppliciter id cōmodè poſſumus obtinere, vel Ægram ſuper calentem aquam iubendo inſidere, vt vaporem, quo dilatantur vię, & ſanguis fluxibilior redditur, vtero excipiat, eodem planè modo, quo affixis venis ſedalibus hirudinibus fieri conſueuit; vel, ſi non valeat Mulier è lecto ſurgere, locum lineo panno, aut ſpongia aqua calida imbuta ſæpe, ac ſæpius fouendo; ita enim optata ſanguinis quantitas extrahetur.

Quo peracto, ſi adhuc emanare ſanguinem expediat, ſinendum, donec ſponte ſua, quod euenire ſolet vt plurrimùm, ſiſtatur; ſi verò vlterius non effluere Medentis conſilium ſit, ea apponenda medicamenta, quæ ſanguinem cohibere, & vulnera conſolidare ſunt apta; quæ pariter, vbi copioſior ſanguinis effuſio immineat, in vſum ducenda; horum plurrima habentur apud Auctores; in vſu frequentius ſunt bolus armena, ſanguis draconis, & vitriolum vſtum, quod cęteris in ſiſtendo ſanguine præferendum, quæ oui albumine excepta, vel goſsipio (quod ſolum vſtū idem pręſtare valet) & vulnuſculis hirudinum impoſita ſanguinem ſiſtunt; quodſi largior ſequeretur adhuc hęmmorrhagia, ad alia etiam medicamenta eſſet deueniendum, in menſium immodico, aut puerperij fluxu propoſita, & commendata. Hic modus adminiſtrandi nouum præſidium medicum, hirudi-

nes internę parti vteri admouendi.

Quarum præstantia, vt in apertum magis proferatur, præter superius relata experimenta, noua rursus adducere, nõnullasque ijs mediantibus sæuissimas depulsas affectiones expedit palàm facere; paucis tamen contentus, breuibus me expediam, quoniam Mulieres moroso, quo nescio, pudore detentę sua describi nomina recusant, ac Typis excudi.

Eddidit filium in lucem D. Io: de Carb. Vxor ętatis annorum circiter 25. die 9. Martij anni 1659. Prima die, & secunda ritè expurgata fuit, mox cessauit puerperium, ac febris inuasit cum intensissimo capitis dolore, quo diù, noctùque immaniter cruciabatur; accessit ad me D. Ioannes Lancius Guastallensis Chirurgus admodum peritus eius cognatus, rogauitque, vt ad eam inuisendam me conferrem, vt an hirudines, quas alijs fœlicissimè meo iussu ab eius vxore in artis operibus versatissima, fuisse appositas nouerat, illi conuenirent, inspicerem, ac decernerem; ad Ægram me contuli, & cum non admodum pleno esset corporis habitu, absque alia sanguinis per venarum sectionem euacuatione, illicò quattuor, de more, hirudines internę parti vteri admoueri iussi, quibus larga facta sanguinis euacuatione, febris fuit remissa, capitis dolor euanuit, & paucis exactis diebus perfectè conualuit. Adfuit operationi Obstetrix, simplex mulier, & nouum mirata remedium, animaduertant, inquit, in vteri colo esse partem, cui si adhęreat hirudo malum succedet irreparabile; quid

sibi

ſibi voluerit ignoro; opus, licèt nouum, præſtantiſſimum eſſe ſcio.

Menſe Septembri eiuſdem anni acceſsit ad me quędam Mulier, & Filiam adduxit prauo deturpatam colore, Dyſpnęa laborantem, capitis dolore vexatam, leui, per interualla, cordis palpitatione afflictam, eo quod, vt aiebat ipſa, cum iam decimumſeptimum attigiſset annum, menſes tamen adhuc non apparuiſſent; purgationem ex arte præſcripſi, alterantia, & deobſtruentia medicamenta, & ſuo tempore quattuor hirudines internæ parti vteri apponi iuſsi; Omnia executioni mandauit, exacto que menſe lætabunda ad me redijt gratias plurrimas agens, quod eius filiam à tot ęrumnis vindicaſſem, & priſtina, vt ſubridens protulit, redonaſſem pulcritudine.

Luna virgo Hebręa prauo ſimiliter fædata colore ſęuiſsimo ob eandem cauſam, dolore capitis premebatur, adeò vt conſueta munia intermittere cogeretur; facta tamen ſanguinis ab vtero hirudinibus euacuatione dolor euanuit, ac melius habuit, licèt intermiſſa purgatione, ac cęteris præſcriptis medicamētis, non fuerit perfectè ſanata.

Pulcherrimus fuit caſus D. Diam. de Bon. præclarę virginis, quę anno 1663. menſe februarij ob ſuppreſſas menſtruas purgationes in melancoliam primùm, mox inualeſcente affectu, in maniam delapſa, eos omnes immanes patiebatur affectus, quos deſcribit Hippocrates libello de virginum affection. ita vt, & dęmones ſe videre aſſereret, & turba Adſtantium igna-

ra à malo ſpiritu vexari conſtanter affirmaret. Omnia fuerunt ex arte adminiſtrata pręſidia, vt à tot ęrumnis vindicaretur, ſanguis è crurib⁹, & brachio, extractus; ſed omnia in caſsum; faſci js tandem alligari iuſsi, vt quattuor hirudines internę parti vteri de more apponerentur; omnia exequuntur non ſinè magno labore aſsidentes mulieres, factaque hoc pacto larga admodum ſanguinis ab vteri venis effuſione, illicò, omnium admiratione, melius habere cæpit, ac reſcipiſcere, & ſanguine ſequentibus etiam diebus extillante, perfectè conualuit, & ſe deinde D. O. M. ſacrauit.

Aliæ pariter Virgini non multò poſt ſimili affectione correptæ eodem planè modo, eademque methodo nouum pręſidium adhibitum; non fuit illicò perfectè ſanata, eo quod affectio altius radices ęgiſſet, & non minus ab alijs cauſis, naturali fauente conſtitutione, quam ex ſupreſsa menſtruorum euacuatione duxiſset originem. mitior tamen reddita; reſcipiſcere aliquando viſa fuit, adeò vt, vel parentum teſtimonio leuamen ſuſcepiſse potuerit affirmari; progreſsu que temporis licèt ægrius, & ipſa ſanata fuit.

Formoſam Mulierē D. Angel. de Bar. anno proximè elapſo 1664. mortuam puellam enixam dolor capitis intenſiſsimus ſuppreſsis lochijs tertia die à partu immaniter corrippuit, cordis ita moleſta accedente, vt ipſa aiebat, oppreſsione, vt ſe de repente morituram exiſtimaret. Binæ hirudines, me imperante eius internæ parti vteri fuerunt appoſitę (nam ob grauiſsi-

mum morbum, quo tempore gestationis fuerat vexata pauco erat sanguine referta) quarum suctu apertis vteri venis, & sanguinis, & serosę plurimę humiditatis facta euacuatione, melius habuit; quattuor tamen exactis diebus suppressa rursus euacuatione omnia exacerbata, vnde eius mater, me inscio, sola experientia edocta, idem rursus adhibuit remedium, cuius ope intermissa denuò reuocata purgatione, molestijs, vt prius, soluta tandem conualuit.

Gentilis Hebręa annorum xxx. paruum fœlici prędita valetudine elapsis mensibus dolore capitis satis molesto per multos dies fuerat oppressa, qui tempore menstruorum imminutè fluentium, magis exacerbabatur, accedente non leui spirandi difficultate, quibus tandem se adiunxit lenta febris. Vocatus ab eius viro medicamenta ex arte præscripsi, & hirudines vtero apponendas proposui, sed illas constanter renuit, asserens, se illa animalcula semper odisse, sanguinisque euacuationem è pede factam sibi profuturam quam maximè pro certo habere; secari igitur saphęnam iussi; sed spem fefellit euentus; perseuerabant morbi, nihil subleuaminis. Rursus consului hirudines, & Ipsa proprijs calamitatibus tandem suasa, eas quamuis ægrè admisit, & tamen earum operatione peracta, illicò melius habere cępit, & paucis exactis diebus integrę sanitati fuit restituta.

Alias quam plures fœmminas immanibus eo præsidio morbis solutas possem recensere, quoties enim datur occasio non solum à me sed ab Excellens. D.

Iulio

Iulio Corgo Ciuitatis Guaſtallę Medico doctiſsimo fœliciſsimè, vt mihi ſępius teſtatus eſt, in vſum ducitur; adeò vt Mulieres, quę ab ea operatione cane peius, & angue prius abhorrebant, illam iam admittant, & factę alienis periculis prudentiores, laudibus extollant. ſed in re nota vlterius non immorandum:


Hæc ſunt, quæ pro tutella hirudinum, pro noui pręſidij medici confirmatione, humili quamuis ſtylo, exarare valui, MAVRITI præſtantiſsime, quæ velut imperfecta, & mutila tuo ſapientiſsimo iuditio lubens ſubmitto.


Cętera contrà eius Auctorem odio vatiniano prolata conſultò prætereo; E perdita namque Iudęorum Gente ſit ortus Zacutus, ſuperſtitionem oleat, atheiſmum ſapiat, ob id tamen ſummæ eruditionis, & experientię, quibus humano generi prodeſſe valuit, laus illi non deneganda; quid Scorpione fœdius? Serpentę peius? Vipera nocentius? & tamen ſuſpiciendo naturæ, & artis opere, è Viperis, è Serpentibus, è Scorpionibus in humanę fragilitatis ſolatium, in ſalutis ſubſidium elliciuntur alexipharmaca, celebratiſsima elaborantur antidota; quiſquis Zacutus fuerit, Homo tandem fuit; non pigeat ergo nos ab homine medicamentum addiſcere, quando Maiores noſtros in remediorum inuentione à beſtijs ipſis non puduit erudiri;

Grateſque habendę immortales Deo Opt. Max. bonorum omnium diſpenſatori, qui inenarrabili ſua, ac perpetua benignitate omnia bona Mortalibus effundens,

dens ad experiendum tantum medicamentum Nos excitauit, vt Italis ſaltem Medicis, ſi fuerit adhuc obſcurum, iam innoteſceret. Noſtro enim experimento commoti Viri præclariſsimi, & Tu fortaſſe Medicorum decus, illud ſedulò expendentes magis in dies expolient, ornabunt, atque perficient, vt omnibus noxis euitatis, atque periculis, ſumma cum ægrotantium fœmminarum vtilitate ducatur in vſum. Vale Vir doctiſsime, Patriæ noſtræ ornamentum, Philoſophici cœli ſplendidiſsimum lumen, qui inter Principes noſtræ ætatis Medicos effulges

Velut inter ignes
Luna minores.





DE SVCCI CITRI, ET LIMONVM VIRIBVS, ET VSV

In Febricitantibus, & Puerperis

PROGYMNAS. SECVNDVM

Ad per Illust. & Excellentiss.

D. IVLIVM CÆSAREM NIGRELLVM

Medicum Ferrariensum Doctissimum.



TAnti ſemper apud me fuit res medica IVLI CÆSAR doctiſsime, vbi de profligandis hominum morbis, & vita ſeruanda agitur, vt nihil, quod ad artem ſpectet, præſertim ad praxim, in quo nonnihil ſubeſſe difficultatis animaduerterim, abſque matura, & debita conſideratione ab animo excidere, permittere conſueuerim; hinc propoſitas, etiam nuperrimè à Viris Excellentiſsimis difficultates de SVCCI CITRI, ET LIMONVM, Viribus, ac eius vſu in FEBRICITANTIBVS, & PVERPERIS mente reuoluens, non iniucundum, atque inutile mihi, & alijs medicinam

cinam

cinam facientibus futurum existimaui, quid certi de eo statuendum censeam breuibus exponere, meum igitur qualemcumque laborem, nullo saltem liuore, aut inuidia perfusum ad te mitto, vt prestantissimo, quo polles ingenij acumine, illum sedulò expendens, tuam paritèr sententiam mihi, cui veritas pre omnibus in delicijs est, aperire non dubites.

De Succo autem Limonum dicturo illud in primis monendum, quod animaduertit Manardus libro 15. Epist. Epist. 3. vel de Limonibus Antiquos non meminisse, vel eos sub Citri nomine comprehendisse, adeò vt Citri nomine Limones etiam veniant Brasauoli testimonio in Syruporum examine cap. de Syrupo de Acetosit. Citri; Vnde, quæ in præsenti afferentur de Citri viribus, eadem Limonibus appellatis erunt tribuenda; siue enim ita fuerint à natura geniti Limones, siue humana industria, translatione, & insitione producti, vt Dalencampio, & cæteris historie Plantarũ à Rouillio edite Auctoribus placuit, non multum tamen natura, & viribus à Citris differunt eorundem sententia, quam, & confirmat Mattiolus in com. in Dioscoridem cap. de Citro scribens, Limones omnino Citris similes existere, & forma, & facultatibus eisdem esse propinquiores.

Varijs fuit olim nominibus Citrum appellatum; malum nonnulli dixerunt Medicum, alij Assirium, & persicum, Græci & hespericum, Auctore Iuba, vt reffert Hermol. Barbarus corolar. in Dioscorid. cap. 168. qui ab Hercule translatum in Græciam, & au-

reum vocatum fuisse malum scripsit, ità vt Virgilius de ijs intellexisse videatur cum dixit, *Aurea mala decem* nec defuere, qui nuptiale pomum intelligi hoc voluerint, quod editum à tellure fabulantur nuntiato Iouis, & Iunonis connubio.

Arborem descripsit Theophrastus lib. 4. de histo. plantarum sub nomine mali Medicæ, seu persicæ, & eius figuram, & fœcunditatẽ eleganter depinxit; fructumque, & folia odoris pręcellentia commendans, vestes inoffensas hęc conseruare, & vtilem illum esse cum medicinam mortiferam quis biberit, vel ad oris suaueolentiam testatum reliquit;

Eandem Citri naturam esse easdem facultates scripserunt Dioscorides cap. de citro, & Plinius lib. 12. histo. cap. 3. verùm rem acùratius expendit Medicorum Antesignanus Galenus, ac eius essentiam intimiùs perscrutatus pro vt diuersis partibus constat, diuersis etiam præditum facultatibus affirmauit; *Tres*, inquit, lib. 2. de alimen. fac. *huius fructus, quem malum Medicum alij appellant, partes habentur, acida quæ in medio ipsius sita est, tum fructus ipsius veluti caro, & tertia, quę est tegumentum extrinsecus circumdatum*, singularũque exponens facultates, & vsum, ad acidam conuersus, *parte fructus acida*, scribit, *& non vesca, qua semen continetur, cum ad alia quædam vtuntur, tum sępe in acetum imbecillum conijciunt, vt ipsum acrius reddant.*

Sed multò plures acidæ Citri, & Limonum parti vel ipso Galeno auctore, vires sunt tribuendæ, omnia enim ea, quę acidis comuniter censuit conuenire,

eadem

eadem acido Limonũ, vel Citri aptanda esse manifestũ existit; hęc autem, vt innotescant ad cap. 21. eiusdem operis est regrediendem, ibi namque de malis, & saporibus, qui in eis sunt exactius differens, diuisis primò saporibus in austerum, acidum, dulcem, & ex his mistos paulò infrà subiungit, *mala quæ adstringunt succum habere frigidum, ac terreum, quæ verò acida apparent tenuium eſse partium*; & idem est quod docuerat lib. 4. de simpl. medic. fac. cap. 7. dicens, *acida tenuitate corporis pollere, qua mediante ab adstringentibus distinguntur, quæ terrena sunt, & crassa corporis consistentia, & mordicationem participant*; legitur siquidem eiusdem lib. cap. 17. *communisque est mordicatio tribus istis saporibus, acido, amaro, & acri, verum acido quidẽ vt frigido, & subtili, nam, & id sæpe mostratum est, amaro verò, & acri Vt calidis.*

Vnde constat ad multò plura extendi acidorum vsum, qnod latè expressum habetur capite superius adducto de malis, & eorum saporibus hisce verbis, *his igitur vteris pro vincenti in saporibus facultate austeris quidem pomis cum ventriculus vel propter calidam intemperiem, vel multam humiditatem fuerit imbecillus, acerbis cum hęc duo aucta admodum fuerint, acidis quando succum crassum, qui non magnopere frigidus sit, suspicaberis in ipso esse colectũ, quandoquidem succus frigidus non acida, sed acria postulat. Vtraque certè acida, & acria succos crassos incidunt, in eo tamen differunt; quod hęc quidem cum calefactione, illa autem cum refrigeratione id præstant.*

Et paulò poſt, *Perſpicuum porrò eſt, ex his, quæ iam ſępè diximus, quod adſtringentia quidem quantum in ipſis eſt alui deiectiones ſemper cohibent; acida verò cum ſuccum craſſum in ventre inuenerint ipſum incidunt, ac deorſum ſubducunt, ob idque deiectiones humectant.* Hęc Galenus, quibus planè conſentiunt, ea quæ habentur apud Auicenam lib. 2. ſuæ med. tract. 1. cap. 3. vbi generationem ſaporum, ac eorum differentias exponens, *& dicunt*, ait, *quod ſubſtantia ferens ſaporem, aut eſt ſpiſſa terrea, aut eſt ſubtilis, aut media, & eius virtus eſt calida, aut frigida, aut æqualis; ſpiſſa igitur terrea ſi eſt calida, tunc eſt amara; & ſi eſt frigida, eſt pontica; & ſi æqualis, tunc eſt dulcis; & ſubtilis ſi eſt calida, tunc eſt acuta, & ſi eſt frigida, tunc eſt acetoſa. propterea*, ſubdit, *acetoſum quamuis ſit minus frigidum, quam ponticum in pluribus eſt pluris infrigidationis, & propter ſui ſubtilitatem, & penetrationem ſuam.* & paulò inferiùs ſaporum operationes enumerans, *& operationis acetoſitatis*, addit, *ſunt refrigeratio, & inciſio.*

Quod quidem ſuadet, & ratio, cum enim acida, & ſucci Citri, & Limonum in ſpecie, tenuium ſint partiũ, ea quę craſſa ſunt, & viſcida melius penetrare poſſe, & per illa ſe ſe inſinuando diuellere, atque ideò incidere, etiam ſi frigida ſint, nemo non fatebitur.

Hinc aſſerebat Sener. lib. 5. inſtitut part. 1. ſect. 1. cap. 6. *dari etiam attenuantia frigida, vt ſunt ſuccus Limonum, acetum, & oximel.* Et lib. 4. eiuſdem operis vbi de alimentorum facultatibus *acidis vtendum*

quo-

quoties lentos humores incidere optamus; & Auctor libri de dissolutione continua inter Galeni opera repositi quicunque ille sit, *& quarta differentia*, inquit, *est eorum quæ incidunt, & tenuant cum acetositate sua, sicut acetum, & sechaniabin, & acetositas Citri*; Ita apud Isaacum Iudęum, non ignobilem inter Arabes Medicum in sanitatis thesauro lib. 7. legimus cap. de pom. Citr. *Medullę Citri acetosa pars frigida est, & sicca in secundo gradu, & virtutem habet incidentem, extenuantem, & refrigerantem*; Cui planè consentit Heuurnius, & alij viri clarissimi subscribunt, quos breuitatis ergo prætereo, lib. 3. meth. ad prax. cap. 7. abstergendi præterea facultatem eidem tribuens hisce verbis, *Abstersio est inanitio locorum viscidis succis obsessorum facta a siccitate tenui cum moderato calore, vel frigore, cuiusmodi sunt Succus Limonum, Ordeum, & similia*.

Quod, & confirmat experientia, si enim capiantur duo oua, vnumque in Succo Citri, vel Limonum, alterum verò ponatur in aceto, obseruabitur per ouum plus penetrare succum Citri, quam acetum, & rursus si ponatur succus agrestæ in vno vitro, in alio succus Limonum, vel Citri, & in vtroque ponatur ouum, cera, vel lapillus, succus Limonum, vel Citri emoliet ouum, ceram, & lapillum, succus autem agrestę nequaquam; & ratio est, quia succus Citri tenuissimæ substantiæ est, adstrictionis expers, ideòque penetrat, & incidit; Agresta verò propter partes terrestres, & crassas quibus componitur, non potest

test id facere; Quibus rationibus in renum frangendo calculo, meatus abstergendo, maculas auferendo, ac detergendo non vltimas tenere partes omnibus est in confesso;

Tot, & tantis pollet facultatibus succus Limonum, vel Citri, idcirco in febribus præcipuè biliosis, vbi præsertim crassior bilis abundet, vrgeat sitis, adsint obstructiones, prauæ, & venenatæ qualitatis vigeat suspicio, præstantissimum fore illius vsum inficiari non potest, sua enim frigiditate febrilem compescet calorem, sitim exstinguet, partium tenuitate bilem crassam incidet, attenuabit, obstructiones aperiet, cum ipso Galeno Auctore lib. 10. meth. cap. 2. obstructio ex qualitate humorum attenuantibus indigeat; & excellenti, qua pollet, aduersus venena facultate, quemadmodum fatentur Antiqui, Semini, Succo, Cortici, & toto denique pomo hanc dotem elargientes, putredinem malignã inhibere, venenosam qualitatem oppugnare, & cordi contra febriles impetus robur addere, omnino potens erit, cum etiam Arabum Principis testimonio tract. de Viribus cor. cap. de Citro, *eius acetositas sit ex confortantibus cor calidæ*, & *siccæ complexionis, & in eo sit theriacalitas vnde confert reptilium, & Serpentum morsibus*, quemadmodum Clarissimis historijs ex Atheneço, & Theopompo dessumptis confirmat Mattiolus lib. prim. in Dioscor. cap. 132. Vnde, & Dalencamp. cap. de Citro, succum eius refrigerare testatus est, ac putredini aduersari, atque his nominibus febricitãtibus conuenire, ex Limo-

monumque ſucco, ſicuti ex Citrorum ſerapium fieri docuit ad extinguendum bilis feruorem, ad peſtilentes febres, & eas quæ contagionis vitio inficiunt, & ingruunt arcendas, & opugnandas; Hinc eſt, dicebat Braſauolus in exam. ſyrup. quod in omnibus ferè ęgritudinibus in quibus poſtea prodeſſe ſyrupum ex eo paratum rettulit Meſues, acido Citri ſucco olim vtebantur Medici, qui nondum ſyrupum ſaccaro confecerant, in inflãmatione ſcilicet viſcerum, ac febribus, non ſolùm ex flaua bile ortis, ſed peſtilentibus, nec non in venenoſa, & peſtilenti aeris conſtitutione;

Quibus planè rationibus vel iuſculis, vel alijs ferculis commixtum, ita vt ſua aciditate, à qua partes neruoſas offendi, ſcripſit Galen. lib. 2. acutorum tex. 39. vterum non ledat, ſuccum Limonum, & Citri Puerperis etiam concedi poſſe, ac tutò exiberi patet conſiderantibus, tantum enim abeſt quod poſsit lochiorum fluxum adſtringendo compeſcere, vt malè opinatur Vulgus, quin potius ſua vi inciſiua, attenuante, & aperitiua eorum faciliorem reddere expurgationem, ac vberiorem aptus exiſtat;

His non obſtantibus, à multis adhuc refellitur, ac eius vſus in febribus, nonnullis contrà allatis rationibus, improbatur, quę in pręſenti expendendæ ſunt, ac diluendæ, vt inde magis eius præſtantia effulgeat, ac eluceſcat.

Obijcitur primò auctoritas Gal. lib. prim. acut. tex. 18. vbi proponens medicamenta in febribus adminiſtranda, *acida*, ſcribit, *omnia dimittere opportet;* nec

non

non. 5. de loc. aff. cap. 5. vbi acida adſtringere manifeſtè aſſerit;

Verùm, omiſso quod Galeno Galenus poteſt opponi locis ſuperius adductis, ne in eius ſcriptis appareat contradictio; Ad primam auctoritatem reſpondeo, acidorum alia ſimpliciter talia eſse, alia ſimul auſtera, eoque loci habuiſse propoſita Galenum acida auſtera, quæ prorſus adſtrictione non carent eſse cenſendum, & eſt reſponſio etiam ab Hercule Saxonia allata in tract. de febribus cap. 26. Ita ſuccus agreſtæ, qui acidus ſimul, & auſterus eſt, eo quia terreſtribus conſtat partibus, vna cum aciditate vim adſtringentem poſsidet, vt optimè notat Montanus de febr. peſtil. cap. 26. quamuis Martianus aliter ſentire videatur com. in lib. Hipp. de dicta verſic. 326. Secus autem ſe habet ſuccus Limonum, & Citri, qui cum ſubſtantiæ tenuiſsimæ ſit, & ideò auſteritate carens, adſtringendi ſimpliciter facultate per ſe deſtitutus cenſendus eſt;

Ad ſecundam verò ex libris de loc. affect. patet in textu reſponſio, non enim ſcribit Galenus acida abſolutè adſtringere, ſed gulam adſtringere; Quod, vt apertiùs pateat affert doctiſsimus Saxonia quandam diſtinctionem, & rationem, & inquit, *quod acida poſſunt comparari vel ad humores, qui ſunt inſenſibiles, vel ad partes corporis, quæ ſunt ſenſibiles, ſi ad humores inſenſibiles habent vim attenuandi, incidendi, penetrandi omnes partes humorum, quia tenuium ſunt partium; Si cum ſentientibus partibus ratione ſenſus tactus dicuntur*

habe-

habere adstrictionem; & ratio est quoniam quę acida sunt mordicant, partes sentientes sentiunt mordicationem, quæ sentiunt mordicationem statim contrahuntur, & adstringuntur, igitur ex acidis prouenit adstrictio, quę fit ex mordacitate, quæ non solùm prouenit à materia frigida sed etiam ex calida.

Sed non sequitur illud medicamentum mordax est causa adstrictionis, ergo est adstringens, nam ignis hac ratione est causa adstrictionis, vt experiuntur ÿ, qui manum igni apponunt, nec tamen adstringens est; Itaque si dixit Galenus acida adstringere, & gulam etiam constringere in hoc sensu, verum dixit, sed ex hoc non sequitur esse vera adstringentia, quia cum sint tenuium partium, possunt atenuare, incidere, & penetrare, vt lib. dę simp. medic. facult. & alibi habetur expręssum, hæc Saxonia, quibus aliam placet addere rationem, quæ mihi magis arridet, & est, quod hæc acida, veluti acetum ideò videntur constringere, quia ressoluitur ab eorum siccitate illud humidum, quod est infrà cutem, vnde ressicata cute concidunt eius partes, indeque sequitur corrugatio, & adstrictio, vt aparet manifestè in cute eorum, qui aceto, lixiuio, & similibus lauantur; non adstringunt igitur, quę acida sunt gulam, quia propriè adstringenti facultate donata sint, sed quia ressoluitur ab eorū siccitate humiditas in parte, hoc est in gula existens, quare ex eo non potest inferri quod acida per se adstringant.

Secundò, Auicennę lib. 2. dicentis, *& aqua acetositatis eius sedat vomitum, & ipsius acetositas retinet ventrem,*

trem, *& confert solutioni colericæ*; cui adstipulatur Galenus lib. 2. de alim. facul. scribens, *quod acida si ventrem purum inuenerint ipsum magis sistunt*; Quibus, & alij experientiam addunt lactis nempe coagulationem, quam pręstant succi Limonum, & Citri, vt notum est, quę omnia cum adstringentis videantur effectus, & opera facultatis, eadem prędîtos esse succos prędictos videtur concludendum.

Quibus rationibus vt rectè satisfiat, & vt effectuum, qui à Succis propositis dicuntur prouenire vera reddatur ratio; Primò animaduertendum, idem medicamentum respectu diuersorum subiectorũ in quibus operatur, diuersas etiam præstare posse, ac edere operationes; Secundò obseruandum illud, quod docuit Gal. lib. 4. de simpl. med. facult. cap. 7. multas inesse medicamentis multoties facultates, non diuersas tantum, sed & repugnantes, atque interim etiam omnino subcontrarias, vnde varios, & forte contrarios effectus producere nonnumquam sunt apta, vt de ferro, seu Chalybe, Rhabarbaro, & alijs est Medicis notissimum;

Quod succis Limonum, & Citri pariter euenire considerantibus illucescet, cum enim diuersis facultatibus prædìti, & donati sint, pro vt diuersas possident qualitates, tenuitatem nimirum, frigiditatem, & siccitatem, diuersos etiam posse producere effectus haud repugnat, nec est à ratione alienum; prout enim tenuis sunt substantię humores crassos incidunt, attenuant, aperiunt, ac detergunt, & ità deiectiones humecta-

mectare possunt, ac ventrem subducere, vt docuit Galenus; prout frigidi, ac sicci sunt vomitum sedare, ventrem retinere, ac solutioni colericę mederi potentes existunt, vt placuit Auicennę, sua enim frigiditate calorem biliosi humoris edomant, atque restinguunt, vnde vis eius actiua, qua naturam stimulat ad excretionem, frangitur, et obtunditur, concurrente pręsertim vi incisiua; quod voluit fortasse exprimere Princeps eò loci scribens, *& acetositas eius frangit coleram rubram*; prout ventriculum tanquam partem sentientem tangunt, constringendo, & contrahendo roborant, quemadmodum notauit Gal. lib. 5. de vsu part. cap. 4. & innuit Auicenna lib. 2. trct. 2. cap. 77. vbi de aceto loquitur;

Prout rursus tanquam frigidi, & sicci ipsum afficiunt, calidam, & humidam eius corrigendo intemperiem, vt ibidem obseruat Princeps, magis adhuc confirmant, & siccitate tandem retentricem eiusdem, ac intestinorum facultatem sistendo, vel superfluas humiditates absumendo fortiorem reddunt, vnde sedatur vomitus biliosus, atque secessus.

Hac eadem ratione si purum ventrem inuenerint illum magis sistere Galenum affirmasse censendum est, cum enim ventre puro existente vis incisiua non habeat in quod agat, crassos nempe humores, omne siquidem agens in tantum agit in quantum habet contrarietatem ex Aristotele lib. de sensu, & sensili cap. 4. vires suas exerentibus refrigerandi, & siccandi potestate venter magis sistitur.

Idcirco neq; prædictis nominibus deneganda videtur omninò ſuccis Limonum, & Citri aliqua adſtringendi facultas, ſiue ratione obiecti, partium nempe ſentientium dum in illas agunt, vt fuit explicatum, ſiue ratione frigiditatis, & ſiccitatis, qua ſunt donati, cum ex Galeno lib. 4. de ſimpl. med. fac. cap. 7. *frigida adſtringant, & deſſicantia alui deiectiones ſiſtant*, lib. 10. eiuſdem operis; quę tamen moderata adſtringendi potentia eorum penetrationũ, vimque inciſiuam, atque aperitiuam, & adiuuat, & magis promouet, vt docuit apertè Galen. lib. 13. de ſimpl. medicamen. facult. cap. 17. inquiens, *quibus verò humiditas ineſt tenuis pariter, ac tepida, hęc per eſſentię quidem tenuitatem promptè mobilia corporum quæ contingunt meatus ſubire nihil prohibet, ſi verò præterquamquod ſint eiuſmodi, inſuper exiguam adſtrictionem poſſideant, quę tenues particulas meatus iam ingreſſas in profundum propellere valeat, ipſamque extrinſecus ſuperficiem quadamtenus conſtringere, ac denſare, ea inter omnia humectantia efficaciſſimè humectant*; quod et confirmauit Montanus lib. conſil. de febr. conſ. 40. & illud eſt, quod paſsim Medici inchalybe experiuntur, cuius vim adſtrictoriam non parum facere ad reſſerandas obſtructiones fatetur Claudinus lib. de Ingreſſu ad infirmos, vbi de remedijs generoſ. cap. 3.

Aperiunt ergo, attenuant, & incidunt ſucci Limonum, & Citri, quamuis relatos etiam effectus diuerſis nempe rationibus valeant producere, vnde nihl officit alatum argumentum noſtrę aſſertioni.

Et

Et eò minus quod Auicennę auctoritatem pro nostra pariter stare sententia manifestè elucescit, nam præter ea, quę superius attulimus de acidorum facultatibus, illud est euidens, quod, capite eodem, acetositati Citri, vim abstergendi colorem tribuit, & panum auferendi, vnde, &, impetigini conferre affirmat, & aquam acetositatis eius valere icteritię; quæ omnia non adstringentia prętare, sed incidentia, attenuantia, & detergentia luce clarius existit.

Ita planè ad ea, quæ de lactis coagulatione afferuntur patet responsio, cum enim iuxta Aristotilis sententiam lib. 4. meteor. cap. 3. *Aquea à frigore concrescant, terrea à calido, quæ simul terrea, & aquea sunt à calido, & à frigore, veluti lac*, à calore videlicet exugente, à frigore terrenum condensante, & ab aqueis partibus segregante, vt exponit doctissimè Mercurialis lib. 2. varium lect. cap. 2. Succum Limonum, & Citri sua frigiditate lac coagulare, partes nimirum terrenas condensando asserendum est; Cui tamen operationi non parum conducit eius substantiæ tenuitas, hac enim mediante acidus ille spiritus per omnes lactis partes diffunditur, suaque acrimonia, & vi incisiua crassiores partes ressecat, & à tenuioribus separat, vnde facilius emergit coagolatio, quemadmodum ostendit doctissimus P. Nicolaus Cabeus e Soc. Iesu conciuis, & Præceptor meus fælicissimæ recordationis lib. prim. Meteor. tex. 56. quest. prim.

Coagulat ergo Succus Limonum, & Citri lac, sicuti, & acetum, vt notum est, verùm non vt adstrin-


gens,

gens, ſed pro vt frigidus eſt, ac tenuium partium; idcirco adſtringenti pollere facultate nequaquam aſſerendum.

Abeant itaque Maſlaria, & Reliqui, qui Succi Limonum, & Citri vſum ob adſtringendi facultatem in febribus reijciunt, Puerperis ob eandem rationem prohibent, ac interdicunt, cum tot, & adeò validis rationibus, & omnium ſapientum calculo iam conſtet, non ſolum non adſtringere ſed aperire, incidere, ac deobſtruere, ac ideò ex eo paratum Syrupum maxima cum ęgrotantium vtilitate vbi illis operationibus opus eſt pro morbis expurgandis aſsiduè in vſum duci quemadmodum parum ſibi conſtans, & ipſe affirmat lib. 4. de med. purgantibus vbi de Syrupis.

Concędant iam miſeris Febricitantibus, defeſsis, ac languidis Puerperis ſiti, vt plurrimum, & nauſea vexatis iucundum hoc ſaltem ciborum condimentum Medici nimium formidoloſi, ac Vetularum cantilenis addicti, vt ſuauiori reddito alimento, quod, & meliori præferendum eſt iuxta diuini Hippocratis oraculum, melius nutriantur, iuxta illud, quod Sapit, nutrit, & fractas, ac deperditas vires reſtaurando alacriores euadant. Vale Vir doctiſsimè, & me ama.

Dabam Guaſtallę &c.



DE



DE
VENA IN FEBRIBVS MALIGNIS SECANDA
VTRVM SCILICET
Vtilior, ac ſecurior ſit Venarum Inferiorum Inciſio, quam ſuperiorum.

PROGIMNASMA TERTIVM.

Ad Illuſtriſsimum Virum

D. MARCVM ANTONIVM GEMINELLVM

Sereniſsimi Ducis Mutinę &c.

Archiatrum Meritiſsimum.



BI in adminiſtrandis medicis auxilijs, magnis pręſertim, ac præſtantioribus, atque in morbis ſæuiſsimis, ac difficillimis, variæ, ac diuerſæ, immò inter ſe pugnantes inueniuntur illuſtrium virorũ ſententiæ, MARCE ANTONI clariſsimè, ancæps meritò hæret medentis animus, & quò ſe vertat dubius ignorat; quocirca acri tum iudicio eſt opus, exercitata conſideratione, vt rectam procædendi methodum cogitet, ne à recta declinet via, vt fugiat diuerticula, quæ incautos

tos plerumque ducunt in præceps, Ægros miserè perdunt, & Medici famam, atque honorem pessundant.

Quod sanè in vena eligenda pro sanguinis detractione in malignis febribus euenire conspicitur, posito namque quod sanguinem educere expediat, & venam incidere, de quo tamen fuit olim acritèr disputatum, & nostra hac etiam tempestate digladiantur viri famatissimi, in dubium adhuc vertitur, quæ vena sit pertundenda; nonnulli enim ex recentioribus Medici doctissimi, contrà comunem omnium ferè Antiquorum sententiam constanter asserunt, in febribus malignis longè semper vtiliorem esse, ac securiorem venarum inferiorum sectionem, ac ideò venas, quæ in talis, seu poplitibus sitę sunt, perpetuò findendas affirmant; Alij è contrà, venis superioribus sectis factam euacuationem magis prętare, ex methodo, & secundum rationem esse, statuere non dubitant;

Non tantum mihi assumo, vt possim sedere Iudex huius litis, eorum tamen rationes, & argumenta paulò diligentius (quod nondum video factum) libet considerare, ad medicam, vt dici solet, trutinam reuocare, et quid certi in re tanti momenti iuxta, Principum Medicorum doctrinam, ac veram medendi methodum statuendum censeam, candidè aperire; vt saltem Medicinę studiosis ad veritatem indagandam stimulus addatur, ad sublimiores speculationes animi excitentur, quibus nominibus, & mihi testari gratias decebit, iuxta Aristotelis sensum in Methaphisicis.

Vena-

Venarum inferiorum sectionem qui in febribus malignis semper moliendam asserunt, Horatij Augenij Medici Clarissimi doctrinam in primis, & auctoritatem sequi videntur, & amplexari; Is enim tom. prim. epist. lib. 5. epist. prim. multis de venæ sectione in maligna febre, & cucurbitularum vsu satis doctè prolatis in hunc modum scribit, *Ex his ipsis colligo sanguinis euacuationem ex inferioribus longè præstantiorem, quam ex superioribus, præsertim si aut menstrua retenta sit purgatio, aut hæmmorrhoidum solita euacuatio fuerit suppressa, in posterioribus enim hisce casibus nullam habet difficultatem, verùm etiam si deffuerint, in eiusmodi febribus obseruaui longè tutiorem esse poplitem, aut malleolum incidendo euacuationem, quia si à corde præstat venenum reuellere, si attrahere ad infernas partes, nihil tutius excogitari potest.* & tomo 2. lib. 3. epist. 4. de venę poplitis, & malleoli sectione cum Vitellesco ex professo disputans, & suæ opinionis fundamenta latiùs expandens, hæc scriptis tradidit, *Putaui ex inferioribus venis mitti oportere sanguinem multis de causis, primùm vt à corde, & cerebro reuellerem, deinde vt naturæ motum imitarer, ac postremò vt plenitudinis affectam vacuarem; Nemo nescit febres pestilentes à putridis differre ob excęllentiam putredinis, qua scilicet humores à propria natura ita alieni euaserunt, vt restituere illos in integrum ferè impossibile sit; Basis corruptionis huius in humoribus aliquando consistit, & aliquando in ipsius cordis corpore, vt dicebat Gal. 3. de præsag. ex puls.*

Addens pręterea, *Certissimum est semper ad focum*

 putre-

putredinis confluere ſanguinem, ex eoque motu augeri febrem, quod materiei putrefactæ incrementum non mediocriter fiat, Vt idem auctor eſt lib. 2. de diff. febr. cap. vlt. multò magis ad cor tanquam ad fontem influentis caloris, ſpiritus, & ſanguinis perpetuò confluentes augere non mediocriter febrem, & corruptionem poſſunt, præſertim in corpore pletorico; Hęc ſi vera ſunt, quemadmodum veriſſima eſſe te Virum doctiſſimum ambigere non arbitror, dupplex ſe offert indicatio executioni mandanda, vna vt multitudinem à qua corrupta materia fouetur vacuemus, alia vt fluentem ſanguinem reuellamus; quę duo ſimul, ac ſtatim debent fieri in morbo acutiſſimo, fientque citra laborem ſecta vena poplitis aut malleoli; Poſtulat reuulſionis ratio, vt noſti, fieri illam in contraria parte, & motu inſtituto ad contrarium, quam humor ipſe mouetur, quamobrem ſtatuere oportet à toto corpore, maximè ex venis, qualis eſt caua, & illi adiacentes, proximę que ſanguinem ad cordis moueri ſubſtantiam; qui ergo deorſum trahit illum contrarium motum, & contrariam ratione ſitus partem elligit. Porrò vacuari multitudinem ſectis venis ſuperioribus, ac inferioribus adeò certum, vt neminem dubitare putem; Vrgere præterea videtur mihi natura morbi, quam venenatam eſſe traddidiſtis, at vbi venenum cor obſidet, nihil inueniri poteſt præſtantius, quam attrahere illud ad partes maximè diſtantes, & quæ ignobiles exiſtunt; fieri poſſe attractionem venenati humoris à venis inferioribus vacuatione facta, multòque tutiorem eſſe quam ſi quis cubiti venam incideret, non eſt meo quidem iuditio ambigendum; motus etiam naturę in peſtife-

stiferis hisce febribus indicat nobis quid agendum sit, solet enim materiam Venenatam in inguinibus expellere, à quibus repellere non licet, & ad quę trahere semper expedit. Cur igitur nos illius imitatione non ducemus humores malos ad infernas partes?

Quibus ita expositis concludit, *meę opinionis rationem dixi, quam firmissimam putabo tamdiù, donec pro tua eruditione meliorem docueris.*

Hęc Augenij argumenta, hæ rationes pro vena in partibus inferioribus perpetuò secanda; similibusq; prorsus eandem opinionem tuentur, qui illum sequuntur; quare singula exactè pendenda sunt, attentè examinanda;

Putaui, inquit, ex inferiorib⁹ venis mitti debere sanguinem multis de causis, primùm vt à corde, et cerebro reuellerem; cuius reddens rationem, subiungit, nemo nescit febres pestilentes à putridis differre ob excęllentiam putredinis; postea addit, basis corruptionis huius in humoribus consistit aliquando, & aliquando in ipsius cordis corpore: ex quibus verbis apparet Virum doctissimum supponere in febribus malignis putredinem excellentem semper esse in corde, & modò in humoribus, modò in ipsius corpore, & ad illud ea ratione sanguinem confluere, vnde arguit ab eo reuellendum; quod etiam apertè asserit lib. 6. de febr. cap. 11. vbi de pestilentis febris differentijs disputans inquit, *amplius id quod putrescit perpetuò est aliqua cordis substantia, in alijs verò febribus ex humorum putredine ortis admodum raro hoc accidit, sed alijs*

 in locis

in locis humores putredinem sæpe suscipiunt ; &c.

Verùm, parcant Augenij manes, primum eius suppositum falsum est, & à veritate, ni melius explicetur, penitus alienum; duplex enim pestilentium febrium, ex communi omnium consensu, vt optimè ostendunt Fracastorius de contag. morb. cur. cap. 6. Fernellius lib. 4. de feb. cap. 17. & Mercatus lib. 7. cap. 11. genus existit, vnum illarum, quæ ab exstrinseca aeris corruptione, seu pestilenti aeris statu, & contagione proficiscuntur, vel citra aliquem affecti corporis apparatũ; alterum earũ, quę in nobis primò, & sponte fiunt, & ex communibus aliarum febrium causis, vt plenitudine, obstructione, & humorum putredine, sordidiori tamen, profundiori, & excellenti, vt ipse etiam vocat Augenius, originem sortiuntur, quæ malignę, mali moris (quod tamen doctissimo non probatur Salio) lenticulares, seu peticulares communiter appellantur de quibus locutus fuit Galen. lib. 3. de pręsag. ex pulss. cap. 4. vbi de pestilentibus habito sermone, *sciendum*, inquit, *inuadere nonnumquam sine peste has ipsas febres*, quod & agnouisse videtur Augenius in alatis epistolis, ac in secundo præsertim loco citata, vbi illustr. admodum Antistitis casum describit, qui absque peste, seu aeris contagione ob errores in victu, & maximè in potu vini generosi in febrem inciderat malignam, ac pestilentem; quò supposito, sicuti in primo febrium gegere, quæ verè pestilentes sunt, & in pestilenti aeris statu eueniunt, humores in corde putrescere tan-

quam

quam in foco, immò ipsam cordis substantiam aliquando pati, Montano, Mercato, & alijs Viris doctis conceditur, ita in secundo, vbi febres verè pestilentes non sunt, & malignę vocantur, de quibus & nobis, & Augenio est sermò, illud absolutè negatur; cũ enim huiusmodi febres easdem à loco, & à materia habeant differentias, quas simpliciter putridæ, quamuis ob excellentiam putredinis, & venenatam qualitatẽ ab illis differant; sicuti in simpliciter putridis humores non in corde, sed in locis à corde remotis, & separatis putredine coinquinantur, vbi focus putredinis à Medicis appellatus, meritò constituitur, ità prorsus in malignis, & non verè pestilentibus euenire statuendum esse manifestum existit.

Et qui contrariam tuerentur opinionem in Iouberti paradoxum labere viderentur, quo asserit proximam omnium febrium causam, seu materiam in corde cõtineri; quod nec ipse admittit Augen. loco citato, & lib. 3. & 4. de feb. cap. 7. & 13. & à veritate longè abhorrere ostendit doctißimè Mercatus lib. 3. de feb. & clamat vniuersa Medicorum scola cum Galeno, qui lib. primo de cris. apertè asserit *febres venosi generis esse passiones*, & lib. 2. eiusdem operis, nec non 2. de diff feb. cap. vlt. & alibi *in continuis febribus humorem in venis contineri inclusum, intermittentes fieri ex humoribus per sentientes corporis partes delatis, aut detrusis* affirmat,

Quamuis enim cor primùm lædi, & esse principaliter affectum in febribus dicatur, non ob id sequitur

tur in eo ſemper, & neceſſariò putreſcere humores febrem efficientes, quod vel in verè peſtilentibus fieri negat Salius citatus, & multis probat rationibus c. 8. non enim febris eſſentia conſiſtit in putredine, ita vt febris ſubiectum putredinis pariter ſubiectum, & focus debeat eſſe, ſed in calore extraneo, vt docuit Galenus 6. de morb. vulgar. comm. primo tex. 29. & Arabum Princęps lib. 4. trat. primo vbi febris deffinitionem tradens ab omnibus recæptam ſcribit, *febris eſt calor extraneus accenſus in corde &c.*

Quōmodo autem putrefactis humoribus in locis à corde remotis, & ſeparatis calor pręter naturam in ipſum inducatur, & febris fiat, perbellè idem Gal. expreſsit lib. de ſang. miſſ. cap. 5. ſcribens *ergo ſi pars quæ hoc pacto incaluerit*, ideſt propter humorum, & ſanguinis putrefactionem, *inſignis ſit, & calorem ſuum in corde protendere valeat. ſiue quod ex principalibus, ſiue quod calida, vna & ipſum accendet, vt quod natura calidiſſimum ſit; quod ſi ſemel illud accenſum fuerit, facile totum ipſius iam corpus calefit, quemadmodum ab ingenti in foco flamma, quæ illam continet domus, vocant autem id pathema Gręci, pyretòn, Latini febrem*, & lib. primo de feb. cap. 5. dicens *differunt autem quę ex bubonibus febres oriuntur ab ijs, quę ex putredine humorum eueniunt, quę vel in aliquo viſcerum, aut in cauis, & maximis vaſis ortum habent, quoniam quę ex bubonibus fiunt concalefaciunt ſemper partes continuas vſque ad cor calor febrilis attingat, non peruenit autem ad ipſum putrida fuligo; in putredine autem, quę aut in viſceribus, aut in*

magnis

magnis fit vasis, quidam veluti fumus ex putrescentibus humoribus ad cordis ventriculos peruenit, vnde febris. cui consentit Augenius lib. 4. de feb. cap. 7. vbi putridã febrem deffiniens, inquit, *febris simpliciter putrida est, qua vapores putridi cordi vel continuò, vel ex interuallis quibusdam molesti sunt*.

Tantumque abest, quod debeant humores putridi ad cor defferri, vel ibi necessariò contineri, vt fiat febris, quod vel ij, qui motum circularem sanguinis in animalium corporibus nuper obseruarunt, quo mediante sanguinem totum corpus peruadere, immò, & cor ipsum breuissimo temporis spatio affirmant, & quasi in orbem reddere, illud etiam negent, Ioannes enim Vualleus in priori epistola de motu sanguinis ad Thomam Bartolinum dubitationem proponens, an periculosum futurum sit, si omnis qui in nostro corpore prauus humor semper ad cor penetrare, & transire debeat, ita respondet, *sciendum est ita corpus nostrum conditum, vt nobis sanis sit commodissimum, non vt nobis ægrotantibus, deinde humor, qui ab obstructione putrescit, & pessimus est huc non venit, quòd obstructa via impediatur; neque cor ita tenerum est, vt ab humore prauo, qui longas ibi moras non trahit statim corrumpatur*.

Ex quibus verbis apparet vel non admittere hunc Virum transitum humorum putridorum ad cor, eo quod obstructa via impediatur, vel si id eueniat, ab illis tamen cor nequaquam lędi, quoniam in illo moras non trahunt, arbitrari; quod etiam explicauit apertius

tius

tius paulò infrà, vbi quęrenti rursus, quare si verum est breuiori tempore quam hora sanguinem circuitum suum à corde, & iterum ad cor absoluere, singulis horis febres non redeunt, cum futurus paroxismus videatur, quum corrupta materia ad cor venit, ita respondet, *Equidem non negauerim id poße contingere, vt corrupta materia ad cor accedente paroxismus eueniat, vt eius exemplum habet Harueius libelli sui cap. 16. non putem tamen id necessarium esse, potest enim elleuari fuligo, cor petere, & febrem accendere à qua fuligine videntur pleręque febres ab inflammatione partium oriri, quę aperta Vomica euacuato pure desinunt; & vt tales Sympthomaticæ febres, ita & fieri quędam intermittentes febres possunt, à materia vel in vasis, Vel extra vasa conclusa, quę per putredinem vel quotidiè, vel tertiò, vel quarto diè effumans paroxismum faciat,* subditque pręterea *in continuis fateor, quarum materia in venis maioribus hęrere putatur, difficilius est causam dicere, quare singulis horis paroxismus non fiat, videmur tamen eandem dare posse, quam vulgo dant causam, quare continuę non continenter æquales videantur, quod etiam si materia cordi satis propinqua sit, tamen citius paroxismum non faciat, quam certum putredinis gradum acquisierit, & eum paroxismum tamdiù durare, vsque dum putrida ea materia sit euacuata, quæ cor tangit, aut ei suos fumos mittit.* negat igitur Vualleus humores necessariò, & semper ad cor fluere, ibique trahendo moram putredinem nancisci, vt fiat febris, etsi perpetuum sanguinis motum, & circulum admittat; quommodo verò materia cordi

pro-

propinqua existens singulis horis paroxismum non faciat, gratis videtur inquirere, constat enim quod ex materia in vasis maioribus hærente, ac putrescente, continua, atque assidua in cor fit effumatio, quæ iugiter illud lacessit, vnde febris continua continens appellata exoritur, quæ paroxismos non habet, sed vnica accessione inuadens, à principio vsque ad finem nulla intermissione affligit, vt ostendit Galenus 2. de diff. feb. cap. vlt.

Non ergo in febribus etiam malignis, de quibus in pręsenti disseritur, humores praui, aut sanguis semper, & necessariò putrescunt in corde (esto quod aliquando id possit euenire) ita vt basis excellentis putredinis semper in humoribus cordis sit statuenda;

Sed multò minus in cordis ipsius corpore, per hoc enim etiam differre malignam febrem à verè pestilentibus obseruat Mercatus, quod in verè pestilentibus contagium primò obsideat cordis substantiam, aut contenta, quo fit, vt his febribus laborantium anhelitus malè oleat; in maligna verò non nisi humores vasorum, maiorum tamen, & eorum, quę viciniora sunt cordi; cui & aliam addunt differentiam Sennertus, & alij Medici, quod scilicet pestis, & pestilentes febres non solùm plurimos passim inuadunt, sed etiam maximam partem eorum quos inuaserunt interimunt; Malignę autem febres licèt plurimos inficiant, non plurimos tamen, quos lędunt, è medio tollunt, sed plerique eorum conualescunt, quod eue-

nire profectò non posset, si venenosa qualitas excellens, & maligna putredo cordis substantiam, & corpus obsideret, omnes enim irreparabiliter fato cęderent, nec vllum possent ab arte medica percipere sublcuamen, ità testante Gal. lib. 3. de pręsag. ex puls. cap. 3. hisce verbis, *quam enim medicinam excogites ad putredinem, quæ in corde sit*;

Quibus ità se habentibus, quantum primum Viri doctissimi suppositum à veritate abhorreat sat arbitror elucessere; quocirca ea opinio, quæ huic primariò inhæret fundamento manifestę labascit.

Subiungit deinde, certissimum est semper ad focum putredinis confluere sanguinem, ex eoque motu augeri febrem; quod probat Gal. auctoritate lib. 2. de diff. febr. cap. vlt.

Verùm etsi Galenus asserat, vbicunque accenditur, atque augetur caliditas, istuc ab alijs partibus sanguinem solere confluere, vnde earũ sequitur refrigeratio, ac ideò sanguinem eundem in febrium accessionibus ad focum, seu locum putredinis concurrere, quemadmodum, & calorem, vt com. prim. in lib. Hippo. de rat. vict. in morb. acut. habetur, tex. 46. & libro 4. aph. tex. 44. tamen id semper, & necessariò fieri, atque in omnibus febribus, vel iuxta Galeni assertionem, non potest asseuerari; quemadmodum inferius latius explicabitur.

Vbi namque partium frigus nequaquam accedat, aut se non exerat, ibi sanguinis, & caloris ad interiora fieri recursum potest rationabiliter negari; &

eo magis, quod eò loci Galenum de febribus, quæ circuitus habent, & earum accesſionibus, non de continuis continentibus, quæ periodos, & accesſiones manifeſtè non habent, ſermonem habere patet intuentibus, & motum illum ſanguinis in earum acceſſionibus fieri aſseuerare, quemadmodum & lib. 2. aph. in com. prim. aph. vbi ſcribit, *in ijs præcipuè fieri, in quibus vel rigor, vel fortis horror, vel partium externarum contingit refrigeratio*, quę in ſolis intermittentibus euenire, teſtatur doctiſsimus Braſauolus in com.

Præterquamquod ſiue fluat ſanguis ad focum putredinis, ſiue non fluat, inde per ſectam venam reuellendi, aut non deſsumi indicationem, aut ſi deſsumitur, non tamen neceſſariò, & ſemper venas in partibus inferioribus ea ratione eſse ſcindendas, ſuo loco demonſtrabitur.

Sed, vt commodius, & clariùs præſtari poſsit, & vt inceptæ diſputationi iam recta ſternatur via, nonnulla de febrium, & reuulſionis natura, rurſus ſunt delibanda, & in memoriam denuò reuocanda, quorum primum eſt,

Febres, malignas appellatas, quę medio modo ſe habent inter verè peſtilentes, & ſimpliciter putridas, & in nobis ex ſordida, & excellenti putredine humorum, et venenata qualitate (ſiue venenum à putredine, ſiue ex veneno putredo producatur) trahunt originem, eaſdem ſuſcipere differentias tum à materia, tum à loco, quas ſimpliciter putridæ; id ſatis diffusè explicant doctiſsimus Petrus Salius Diuer-

ſus, Saxonia, Mercurialis, Meniotius, &c. alij Viri Clariſsimi, quare in eo probando diutiùs non laboro; Hincque fit, quod febrium malignarum alię continuę continentes ſint, aliæ continuę proportionatæ, aliæ intermittentes, pro vt materia cui praua, & venenoſa qualitas adiungitur, vel in omnibus vaſis, aut in maximis, vel in medijs, aut in minoribus, vel circa viſcera, aut extra venas, ſtabulatur, putreſcit, atque, accenditur; Quamuis enim Galeno aliter viſum ſit lib. 4. Apphoriſ. tex. 43. Hippocrates tamen in conſtitutione peſtilenti, quam lib. 3. Epidem. deſcribit ſect. 3. febres tertianas memorat, quartanas, & quotidianas, quas nocturnas vocat, quod noctù inuadant; cuius auctoritati adſtipulatur experientia, qua conſtat interuallatas febres, præſertimque tertianas, & magis adhuc erraticas, malignitatis caracteriſmo ſignatas in praxi non ita infrequenter obuias fieri; nec non et ratio, quemadmodum apud Salium doctiſsimum, ac diſertiſsimum Meniotium licet animaduertere;

Secundum, in putridis non ſolùm, ſed & in malignis febribus dari focum putredinis, ideſt locum in quo materia putreſcit, & primùm accenditur, & mineram, locum nempè, in quo humores generantur, vel colliguntur, & poſtea ad focum vel permeant, vel attrahuntur, vel trāſmittuntur, & aliquando diuerſa eſſe loca focum, & mineram, nonnunquam ſimul coexiſtere, & in eadem parte reperiri, & illud eſt, quod ſibi voluit Galenus vbi ſcripſit,

quod

quod nonnullæ partes ex ipſis in ſe ipſis genitis ſuperfluitatibus principium febricitandi trahunt;

Tertium, febrium earundem alias cum motu, & fluxu materiæ fieri, vt ſunt intermittentes, vt plurimum, & continuæ proportionatæ, alias ſine motu, & fluxu, cuius cenſus habentur continuæ continentes, & ex intermittentibus nonnullæ; & hæc eſt doctrina communis, quam omnes Medici tenent, ita à Galeno edocti lib. prim. de diff. feb. pluribus in locis, & 2. eiuſdem operis cap. vlt. vbi legitur; *Quæcunque per circuitus aliquos ægritudinum acceſſiones fiunt ex membrorum diſpoſitionibus ortum habent, quæ ſcilicet vel mittunt, vel attrahunt, vel generant, Vel ſuſcipiunt ſuperfluitates; ſed quæ circuitum non habent, in his nulla eſt pars corporis, quæ præcipuè ſit offenſa, ſed qui in venis, & arterijs omnibus continentur humores, atque ij preſertim, qui in maximis, & plurimo calore abundantibus febrem Vnam accendunt ſynocham appellatam*; nec non lib. 10. meth. cap. 6. & 11. eiuſdem operis lib. locis Medicis notis.

Quartum, reuulſionem eſſe auerſionem humoris in aliquam partem fluentis in contrarium, Antiſpaſim Greci vocant, vt notat Galenus lib. 5. meth. c. 3. qua mediante in fontem, hoc eſt fluxionis originem humor fluens arte retrahitur, & in partem ab ea ad quam fluebat diſtantiſsimam auertitur;

Quintũ, non quemlibet tamen materię motum, aut fluxum eſſe auertendum, aut humorem quamcumque in partem fluentẽ ſemper reuellendum, ſed eum

ſolum

ſolummodo, quo materia, & humores feruntur quò non conuenit, ita Dictator imperat lib. 6. de morb. vulgar. part. 2. tex. 29. hiſce verbis, *Reuellere ſi quò non oportet vergant, ſi autem quò oportet, his oportet aperire*, & alterum medicinæ lumen confirmat in com. ſcribens, *aliàs iam & hæc didiciſti, ducenda planè eſse, quò vergunt per conuenientes regiones, auertenda autem, quę nen benè vergunt*; vbi inſuper obſeruandum, quod ſi pars vnde fluit materia ægra ſit, phlegmone nimirum obſeſſa, aut nimium calens, aut dolens, ad ipſam pariter non eſt retrahendus, ac reuellendus humor, vt optimè animaduertit Augenius lib. 7. de ſang. miſſ. capit. 9.

Sextum, quod, vt reuulſio rectè inſtituatur, tempus eius, ac modum decet conſiderare, tempus reuulſionis nos admonet quando ſit facienda reuulſio, tunc nimirùm quando materia fluit, vel iam eſt fluxura; quando enim partim fluxa eſt, at nondum in parte firmata tunc conuenit deriuatio, ſicuti quando in parte firmata eſt, euacuatio; modus verò hanc prę cęteris exhibet cautionem, ne ſcilicet reuellendo materiam prauam, & contaminatam illam trahamus per partem, aut membrum nobile, vnde in bubone, exempli gratia, peſtifero, qui inguina inuaſit, non ſecanda baſilica, ſed ſaphęna, in eo qui in axilla conſedit, in brachio vena aperienda, ne ſcilicet materia peſtifera, & venenata per cor, membrum nobiliſsimũ, ac vitę pręcipuum domicillium perducatur;

His iactis fundamentis, Augenij indicationes primũ

mũ, alię deinde rationes ſunt expendendę; dupplex ſe offert inquit, indicatio executioni mandanda, vna vt multitudinem à qua corrupta materia fouetur, vacuemus, alia vt fluentem ſanguinẽ reuellamus. Quaſi corruptę, &, venenatę materiæ, toto genere pręter naturam, atquæ infenſiſsimę, ideòque citiſsimè eiciendę, nulla habenda ſit ratio, non ſit facienda primò, & illicò euacuatio; & tamen tantę molis eſſe id præſtare alibi agnouit, vt lib. 8. Epiſt. tom. 2. Epiſt. ad Ludouicum Pichinum, ſi in puerpera ob malam humorum præparationẽ ocaſione partus putrefactorum putrida accendatur febris, cuius minera non in vtero ſit, ſed in venis maioribus, vel minoribus, vel extra venas, *non expedire* aſſerat, *venam incidere in poplite, aut malleolis, quia mali fomes in vtero non eſt; ſed ſi poſtulare morbus videatur, vtique ſanguinem mitendum eſſe ex cubiti venis* ſtatuat; & reddit rationem. *Quia proximè ab affecta particula vacuabunt*. quod obiter ſit dictum.

Illa etenim propoſitio antequam admittatur, paulò diligentius venit conſideranda; cum enim nomine multitudinis non minus poſsit intelligi plenitudo vniuerſalis, quam particularis, hoc eſt, vt habet Gal. lib. de plenit. cap. 4. *vel per vniuerſum corpus, vel in vna quappiam, vel etiam pluribus partibus conſiſtens*, naturæ quoquo pacto infenſa, atque moleſta; ſi nomine multitudinis ſolam vniuerſalem plenitudinem velit intelligendam, nequaquam eſt audiendus, quoniam in illis tantum poſset admitti, & habere

locum phlebotomia in quibus vniuerſalis illa reperiretur ſanguinis plenitudo; Quæ ſententia, in qua fuerunt olim Medici præclari, quos refert, et confutat Maſſaria in diſp. de ſcop. mittendi ſanguinem part. 2. iam ſatis oppugnata eſt, & expugnata, et ipſe aliter loquitur Augenius in lib. de ſang. miſſ. vt alibi oſtendemus, Hinc omnes ſaniores Medici famatiſsimum Galeni præceptum, lib. 11. meth. cap. 15. expoſitum vnanimiter amplectuntur, & tamquam firmum, ac ſtabile ſequuntur, ſaluberimum eſſe in febribus venam incidere, non continentibus modo, verùm etiam alijs omnibus, quas putreſcens humor concitat; quod ſanè, vt idem notat, partim ineptum eſſet, partim deſficiens, ſi ad detrahendum ſanguinem in febricitantibus requireretur ſemper communis, & vniuerſalis plenitudo, cum ſine dubio febre ſoleant putrida laborare quæuis corpora, & cuiuſcunque habitus, tam cum plenitudine, quam ſine plenitudine prædicta, in quibus tamen, cæteris conſentientibus, ſanguinem per ſectam venam extrahere Galeni ſententiæ innixi nequaquam dubitant.

Si verò nomine multitudinis non ſolùm vniuerſalem, ſed etiam particularem habeat propoſitam plenitudinem, quomodo in hoc ſenſu eius fauere poſsit opinioni, perarduum eſt demonſtrare; ſicuti namq; vacuari vniuerſalem plenitudinē ſectis venis ſuperioribus æquè, ac inferioribus neminem dubitare, vt ipſe ait, conceditur, ita dictante Galeno lib. de ſang. miſſ. cap. 18. vnde non minus inferiores, quam ſuperiores

ſuperiores venas licet elligere, ita pro multitudine ſeu plenitudine particulari auferenda idem fieri poſſe abſolutè negatur, à loco namque affecto, & in quo particularis conſiſtit plenitudo, deſſumitur, & indicatur locus à quo mittendus eſt ſanguis, vt docet expreſsè Magiſter lib. 13. meth. cap. 11. vbi de euacuatione per ſanguinis miſsionẽ ſermonẽ habens in hunc modum ſcribit, *ſiquidem quod euacuandum ſit, id communis indicatio eſt, vnde autem, & quommodo facienda euacuatio ſit, id ęger ipſe docet locus*, & lib. de ſang. miſſ. cap. 19. & alibi, vbi cum Hippocrate ſtatuit, partibus ſuperioribus affectis, venas ſuperiores ſecandas, inferioribus afflictis, tundendas inferiores; quare particulari data plenitudine in maligna febre, non quamlibet licebit venam elligere pro ſanguinis detractione, & falſum per conſequens erit, quod aſſumit Augenius, pro demenda in febribus multitudine ęqualiter ſemper fore aptas venas inferiores, ac ſuperiores;

Amplius, ſi venę ſectione ſanguinem tantum imputrem, & inculpatum educendum cenſeat, intacto putreſcente, & alijs ſuccis commixto, & coinquinato, vt addita illa particula, à qua corrupta materia fouetur, exprimere videtur; nec ſibi ipſi conſtat, & eſt pariter refelendus, vt paulò ſuprà obiter adnotabamus; ſiue enim ſanguis ſolus exuperet in venis, & incorruptus, ſiue putreſcens, & alijs ſuccis commixtus ibidem reperiatur, conuenit ea, quæ per venarum ſectionem perficitur euacuatio, qua omnium humo-

N rum

rum æqualiter, quę quidem exquisitissima est, fieri euacuationem, probat Galen. com. 2. in lib. aphorism. tex. 17. & qua mediante prauorum humorum non minus, quam sanguinis, in venis, siue vniuersis, siue particularibus existentium, à quibus febris producitur, fieri optimè expurgationem, suo loco ex principum Medicorum consensu palam fiet, pro curatione febrium putridarum omninò necessaria.

Secunda indicatio est, vt sanguinis, quem ad cor perpetuò fluere existimat, reuulsio instituatur, seu humorum, quos ad focum putredinis, vbicunque ille sit, necessariò concurrere, vt fiat febris, alij docti viri, qui eius sequuntur sententiam arbitrantur, ad inferiores partes retractio fiat, auuersio promoueatur; verùm neque sanguinis, neque humorum ad cor ceu ad focum putredinis confluxum in febribus necessariò fieri, iam suprà ostensum est: quod autem neque ad alias partes, vbi focus putredinis consistit vel semper, vel in omnibus febribus, fiat eorum motus, facilè admodum erit demonstrare, quocirca hanc pariter indicationem in omnium febrium malignarum curatione, nec semper locum habere, nec esse vniuersaliter admittendam, apertè demonstrabitur;

Prętantiorum consensu Medicorum statutum iam fuit malignam, & venenosam qualitatem, quæ febrem mali moris, & pestilentem non veram constituit, & à reliquis simpliciter putridis distinguit, ac separat cum omni putrescente materia, & in quocunque loco vbi fiat putredo, posse coniungi, & febrem

brem per conſequens malignam continuam continentem, continuam proportionatam, ac etiam intermittentem poſſe generari; vt igitur diſputatio clarius, & ordinatè procedat, ordo enim, vt notat Excell. D. Mauritius Calanus Præceptor meus humaniſsimus lib. prim. de propriet. indiuid. part. prim. cap. 2. *eſt orationis anima*, In quibuſnam febribus humorum, & ſanguinis motus, & fluxus, & quando, reperiatur inueſtigandum eſt, & declarandum, & vno, ac eodem tempore, an ab ijs reuellendi per ſectam venam deſſumenda ſit indicatio, rurſuſque an per venarum inferiorum perpetuò ſectionem, manifeſtandum.

A febre igitur maligna Synocha, ſeu continente, quæ homines acrius inuadit, & in maiora pericula deducit traham exordium;

Fit huiuſmodi febris ex putredine ſanguinis, & humorum, vel in omnibus vaſis, vel in maximis circa cor, ſeu inter alas, & inguina locatis, vnde continua, & ęqualis ob partium conſenſum, & affinitatem putrida fit in cor effumatio, qua mediante præter naturali calore afficitur, atque maligno; Quod itaque in tali febre non fiat humorum motus, & per conſequens non ſint in gratiam reuulſionis venæ inferiores ſecandæ, tali conſtructo argumento oſtendo,

Ideò in maligna febre venę inferiores in talis, ſeu poplitibus ſitæ primò dicuntur incidendę, vt ſanguinis, & humorum putreſcibilium, vel putreſcentium, qui ad cor, ſeu ad aliam partem, vbi focus eſt, malignæ putredinis mouentur, & confluunt fiat reu-

 ulſio.

ulsio; Sed in maligna febre, quę Synocha, & continens est, non datur motus ille, atque confluxus; Ergo in huiusmodi febre venæ inferiores reuulsionis gratia non sunt incidendæ.

Maior propositio constat ex his, quæ in alatis epistolis habet Augenius, & est pręcipuum, ac vallidissimum fundamentum sententiæ illorum, qui eius opinionem sequuntur, vt notum est.

Minor tali pacto probatur, febris maligna synocha, vel continens appellata, ex humoribus vel in toto venoso genere, vel in maximis vasis, & plurimo calore abundantibus, aut genitis, aut coaceruatis, ibidemque conclusis, & malignè putrescentibus, producitur, & generatur; Ergo in ipsa non fit humorum motus, atque confluxus.

Antecedens habetur apud Galenum lib. 2. de diff. febr. superius adducto, vbi *Synochas febres pro causa*, inquit, *habere humores in vena caua, aut in venis, & arterijs omnibus, maximis præsertim, & plurimo calore abundantibus, contentos, & putręfactos*, & lib. 11. meth cap. 4. vbi legitur, *Quoniam putrædo vel in omnibus consistit vasis, vel quam maximis & c. primò eam tractandam proponemus, quæ vel in maximis vasis, vel in omnibus consistit, quæ igitur ex tali affectu febris oritur, necesse est Synochum, idest continentem esse*, et confirmatur lib. 2. de cris. cap. 12. vbi ait, *manentibus igitur in venis humoribus continuæ ex ipsis generantur febres, si verò moueantur, ac per totum corpus ferantur, hę quę cum rigore, atque horrore incipiunt, vehementi verò cum sudo-*

re ad infebricitationem desinentes, ex quibus Galeni verbis ab humoribus in venis contentis, ibidemque manentibus synochas generari febres manifestè ellucescit, & per consequens absque motu sanguinis, & humorum fluxu fieri exactè deducitur; ita pariter censent Fernellius lib. 4. de feb. cap. 7. qui ideò eam febrem conclusam, sicuti Arabum Princeps, ac eius Interpretes, appellat, quod ex materia in venis maioribus coercita, & putrescente producitur: Mercatus lib. 3. de feb. vbi de continentibus; & vt omittam reliquos Sennertus lib. 2. de feb. cap. 17. vbi febrium putridarum assignans differentias, inquit, *nam ratione loci, in quo materia paroxismi, & exacerbationis causa generatur, quem focum appellant, Synochæ à periodicis differunt, Synochæ enim tali loco destituuntur, nec aliunde ijs materia febrilis subministratur, sed tota in Venis continetur; in periodicis verò in singulis paroxismis noua materia suggeritur*; id ipsum fatetur Augenius lib. 3. de feb. cap. 13. & in Epist. ad Pichinum suprà citata; & est denique omnium Medicorum sententia, qui nec aliam assignare causam norunt, cur accessionibus Synocha destituta sit, nisi quia in ea non fit motus, atque confluxus, ac proinde non ex partita, sed tota sui materia constat, vt optimè expressit Claudinus in suis respons. med. resp. prim.

Præterquamquod, siuè sit sanguis, qui prauè, & malignè putrescens febrem producat, quòd, vt obseruat Mercatus, vt plurimum contingit eò quod venenosa qualitas maiorem cum sanguine habeat analogiam

giam, siue alij humores cum sanguine commixti, cum in venis consistant, tamquam in loco proprio, vt constat ex Galeno lib. 2. de decret. Hippocr. & Platonis, cap. 8. ibique detenti putrescant, & febrem pariant, frustra ad venas, ceu ad focum putredinis, eorum supponitur motus, atque confluxus;

Consequens alia non indiget probatione; Ergo &c.

Sed obijcient, iam scio, Aduersarij, humores in toto venoso genere, vel in maximis vasis contentos, ibiq; tamquam in foco malignè putrescentes, ab aliqua minera, veluti hepate, ventriculo, liene, vel alia parte eò fuisse transmissos, vel transmitti, nisi enim, dicebat Vir doctus, materia à minera ad focum transmittatur, vel translata sit, non potest oriri febris, vnde hoc pacto ad febris generationem videtur necessarius motus, atque confluxus.

Ast eorum obiectio facillimè dissoluitur, si humorum febres malignas efficientium natura, & generatio attentè considerentur, constabit siquidem primò, humores quoscumque siue naturales, siue non naturales, siue preter naturam, putridarum, & malignarum febrium generationi materiam esse aptos subministrare, eorumque plurimos, & præsertim deterioris conditionis, non in determinata corporis parte, sed in diuersis, & pluribus locis fieri consueuisse, quod de bile porracea, flaua, æruginosa, & atra euidens est, quarum aliam in Ventriculo fieri, aliam in Iecore, & toto venoso genere, docet Gal. 3. de sympt. caus. cap. 2. & pro certo habendum esse affirmat Mercatus,

tus, ita à Gal. eodem edoctus lib. 2. de diff. feb. cap. vlt.; qui neque partes carnosas, & solidas ab excrementitiorum humorum generatione relinquit immunes; & ita manifestè apparebit, quomodo vel in omnibus vasis, vel in maximis, & circa cor, materia praua colligi possit, atque coaceruari, vnde nascatur febris, absque eo, quod semper ab hepate, Ventriculo, Liene, aut alia parte transmittatur; expressit id Gal. loco nuper adducto dicens *quod nonnullę partes ex ipsis in se ipsis genitis superfluitatibus principium febricitandi trahunt*; sed diffusè magis, & optimè lib. 2. de aliment. facult. cap. 6. in fine, vbi hanc auream sententiam scriptam reliquit *Ob eam igitur causam omnibus praui succi edulijs censeo abstinendum, etiam si aliquibus concoctu facilia videantur, nobis enim non aduertentibus prauus succus ex ipsis in venis colligitur post longum tempus, qui postea exiguam ad putredinem occasionem nactus, febres malignas accendit.*

Secundò, quod, etsi pars non generauerit humores, aut excrementa, sed aliunde ea recęperit, & postea non eiecerit, putredineque suborta febris inuaserit, dicenda adhuc erit humorum non minus minera, quam putredinis focus, ita enim affirmat Claudinus Respons. prim. & reddit rationem, quia tametsi per motũ fuerint ante excrementa colecta, fuerunt enim vel transmissa, vel attracta, non tamen ratione febris fuere mota, aut ea instante fluxere, sed pręextiterunt, & quando putredine fuerunt coinquinata, iam in venis contenta, & conclusa quiescebant,

non

non valente natura vel propter sui imbecillitatem, vel eorum copiam, crafsitiem, aut lentorem, aut, malam qualitatem, vel ob viarum angustiam illa à se expellere.

Et rursus fortasse insurgent dicẽtes, dari febres continentes epacmasticas, quę semper augentur; igitur in his fieri nouam materię aggregationem, & per consequens nouum, & asiduum humorum motum, atque confluxum, esse necessarium; Verùm nullius etiam momenti censenda hęc difficultas, ratio enim propter quam epacmasticę febres augentur in eo pòsita est, ipso Galeno auctore lib. 9. meth. cap. 3. quod plus materiæ accendatur, quam traspiret; quod, & confirmant Fernellius lib. 4. de feb. cap. 4. Augenius lib. 3. de feb. cap. 13. Sennertus vbi de Synocha febre, & cęteri omnes Medici; non enim vel sanguis ipse, vel alij humores Synocham febrem malignam producere valentes in toto venoso genere, vel in maximis vasis contenti, & conclusi, simul omnes semper, & in eodem instanti putrescunt, & accenduntur, alioquin febres acutisimę fierent, & omnino lethales, sed pars, quę magis est apta putrescere, & accendi, id primùm patitur, deinde etiam reliquæ, quod optimè exposuit Fernellius lib. cit. de febr. cap. 6. ita scribens *quę in venas omnes pariter inuadit putredo, licèt earum sanguinem, non tamen eius omnes ęquè partes occupat, cum enim non omnino simplex sit sanguis, sed ex multorum permixtione compositus, & sero multo persusus, primum quidem illius portionem putredini magis*

obno-

obnoxiam prębendit ab hac deinde aliam ipsi permixtam, atque confusam, quę minus, quam illa sit vitiosa; hocque modo sensim obrepens simul calore præter naturam augetur, & inualescit, nec ante desinit quam partes omnes sanguinis putredini obnoxias absumpserit; & alibi clarius ostendit exemplo phlegmonis, & ignis, qui in lignis accenditur, quò primum stipulę aridiores, deinde virgulta, postremò ligni materia suo quęque cremantur ordine; quod idem prius expresserat Galenus lib. prim. de diff. feb. cap. 1. exemplo fimi in campo.

Non fiunt igitur malignę febres, quæ continentes propriè, & primariò sunt, de quibus in pręsenti est sermo, cum motu, & materiæ fluxu, non enim materia mouetur iam in venis existens, & hac fortasse ratione promptius putrescit; Quare indicatio reuellendi per venę incisionem in illis locum non habet; constat enim tunc solùm materiam esse reuellendam, quando vel actu mouetur, & fluit, vel proximè est fluxura, quemadmodum in quarto, quinto, & sexto supposito fuit ex Hippocr. & Gal. mente declaratum: sicque patet falsum esse in omnibus malignis febribus venæ sectionem in gratiam reuulsionis esse instituendã, quemadmodum supponebant Augenius, & eius sequaces.

A febribus continuis continentibus ad continuas proportionatas progredior, quæ nempè continuę sunt, quia numquam ad intermissionem, seu infebricitationem perueniunt, proportionatæ, ac periodicę, quia plures habent periodos, & accessiones, vel singula,

vel tertia, vel quarta quaque die, iuxta humoris ideam, à quo producuntur; habetur in istis motus materiæ, vnde videtur in quidem posse locū habere ea reuulsio, quæ à continuis continentibus fuit meritò abdicata; fit namque eius transmisio, vel attractio, meritò cuius non ex tota, sed ex partita sui materia constant, & quæ singulam facit accesionem in singula accesione mouetur, iuxta humoris naturam, qui motu cietur; non perueniunt ad intermisionem, seu infebricitationem, tum quia materia, vel humor, qui singulam accesionem facit non excernitur totus, aut absumitur, sed retinetur, vel ob crasitiem, & viscidiratem, vel ob facultatis expultricis imbecillitatem, & viarum angustiam; tum quia ascendit continua in cor effumatio, quamuis non ita subita, nec facilis, aut æqualiter, sicut in continentibus, quoniam eleuatur à materia, quæ diffusa est in venas, quæ mediæ sunt, quæ cum sint à corde magis remotæ, non ita subitò, aut ęqualiter progredi potest ad cor fuligo, & nequit per consequens illud semper ęqualiter calefacere, sed nunc magis, nunc minus id agit, prout putredo intenditur, aut remittitur.

Porrò materia, quę continuarum periodicarum causa est, in secunda coctione, quę fit in hepate, & liene generatur, & proinde sanguini perfecto, & alimentario in venis permiscetur, siue chyli causa, cuius in prima coctione contractum vitium in secunda non corrigitur, siue hepatis vitio, quod malè dispositum ex bono etiam chylo malum sanguinem generat, id contingat,

tingat, atque cacochymiæ in venis originem prębet; cum autem in venis maioribus maxima pars eius contineatur ab illis deinde, veluti quandoque ab hepate, & liene, vbi genita fuit, in venas medias progreditur, ibique putrefacta, & accensa fuligines, & fumos ad cor mittendo febrem producit, vnde optima ratione scripsit Galenus libro 2. de diff. febr. *sępius autem hepatis, aut lienis affectio causam attulit febri*, & lib. prim. de arte curat. ad Glauc. quotidianam patiente ventriculo fieri, quartanam ex malè affęctò splene, & tertianam à iecore laborante.

Fit verò eius motus, vel ob partiũ transmittentium robur, vel recipientium imbecillitatem, calorem, aut dolorem, vt secundo de diff. feb. cap. vlt. satis explicatur, idque contingit vel in accessione, vel paulò ante accessionem, vt ibidem testatur Galenus scribens, quo tempore ad locum concalefactum fluit ab alijs partibus sanguis accessionis principium nuncupari, & rursus, vbi febris principium, ascensum, consistentiam describit, & declinationem.

Hinc apparet materiam, quæ in febribus continuis proportionatis venę sectione videtur reuellenda, aut in venis cum sanguine consistere, aut in iecore humorum officina (ita enim sentiendum est, donec nouum Io: Pecqueti experimentum, quo nouum chyli receptaculum, & eius ductus ad cor, se inuenisse gloriatur, vnde asserit, appositè admodum Peripateticorum Principem, & venarum cor esse principium, & sanguinis officinam iandiù affirmasse, aliter de facto rem,

ſe habere docuerit) aut liene, & motũ, per conſequens auertendum à venis maioribus eſſe, iecore, aut liene ad venas medias.

Omitto enim, pro nunc, ſanguinis ab alijs partibus, præſertim exterioribus, ad locum ob incoatam putredinem concalefactum, motum, atque confluxum in febrium acceſsionibus, quoniam febris cauſa primaria non eſt, licèt febrẽ adaugeat; de eo namque paulò inferius, vbi de febribus intermittentibus, in quibus clarius apparet agemus, ſermo habebitur.

Igitur, etſi motum humorum compeſcere in febrium curatione vtile eſſe non eo inficias, id tamen reuulſione pręſtandum non eſſe affirmare non dubito, ac ideo reuulſionis gratia, venas inferiores etiam in hiſce febribus ſecandas non eſſe, in hunc modum oſtendo.

Si humores ad venas medias fluentes ſint reuulſione auuertendi, & coercendi, ad loca contraria, ad principia videlicet à quibus fluunt, erunt retrahendi, ſed hoc abſurdum eſt, & inconueniens, & ęgrotantibus quammaximè pernitioſum, ergo reuulſione non auertendi, & coercendi.

Connexum euidens eſt ex his, quæ de natura reuulſionis ſunt alibi prolata, & ab Augenio eodem confirmatur vbi ſcribit, *poſtulat reuulſionis ratio fieri illam in contrariam partem, & motu inſtituto ad contrarium, quam humor ipſe mouetur.*

Aſſumptum ſic oſtenditur; Si ſanguis, & humores ad partes vnde diſcedunt, ſeu à quibus tranſmittuntur

cuntur

tuntur sunt retrahendi, ad venas maiores, siue ad iecur, aut lienem sunt reducendi; at longè maiora damna, sęuiora mala ibi possunt inducere, quam in venas medias detrusi, aut delati; Ergo absurdum, & inconueniens est, ęgrisque pernitiosius illos reuellere;

Connexum omnibus medicam artem profitentibus notum existit, constat enim, quod si humores in venas maiores retrahantur, ibique putrefiant, & accendantur, febres continuas continentes producere valebunt, quas multò grauiores esse, & periculosiores proportionatis luce clarius existit; si in iecur, aut lienem Typhodem, & alias immanes non minus affectiones infligere erunt apti, vt frequentissimè in libris de Sympthomatum causis ostenditur à Gal. & prius de febribus pronunciauerat Hippocrates lib. pri. prorreth. tex. 21. scribens *febres ab hippocondrijs malignę;*

Neque dicatur, quod venas inferiores secādo, trahuntur deorsum humores, & ad partes ignobiles, vnde ea euitantur incommoda, atque pericula; certum namque est, non posse fieri eam humorū attractionem, nisi per venas, quocirca antequā ad partes inferiores perueniant, per venas maiores progredi, & remeare omninò est necessarium; cum autem venas maiores rursus fuerint ingressi, non adeò facili negotio, sectis in cruribus venis ab illis poterunt extrahi, & è corpore educi, necesse siquidem fuerit magnam fieri sanguinis effusionem, quam vires in maligna febre forsasse non ferent, antequam humor ille, qui in maxi-

mis

mis venis, puta venæ Cauę trunco, aut iecore continetur, ad partem diſtantiſsimam, vbi vulnus inflictũ eſt deſcendat, et è corpore erumpat.

Amplius, humores à venis maioribus in medias defluentes, fluunt quò conuenit; ergo non reuellendi; conſequens euidens eſt ex ijs, quę de natura reuulſionis ſuperius ex Hippocrate ſunt relata;

Antecedens probatur, quoniam tunc materia fluit quò conuenit, quando à parte nobiliori ad minus nobilem delabitur, quando in locum vbi concoqui poteſt, abſumi, & euacuari; quod ſanè in fluxione humorum à venis maioribus, aut iecore ad venas medias contingere diſcurrentibus illuceſcet, ſunt enim partes illę minus prioribus nobiles, & in illis fit humorum concoctio ex Gal. lib. 3. de ſympt. cauſ. cap. 2. vnde ad vrinas reſpiciendum eſt, eodem auctore lib. prim. de criſ. cap. 7. nec non abſumptio, & euacuatio; ſi fuerint enim humores tenuiores, potentia robuſta, corpus rarum, maximam eorum partem reſſolui in ſudorem, vel inſenſibiliter euacuari idem teſtatur lib. 2. de diff. feb. cap. vlt.

Addamus, quod ſi facienda ſit decantata reuulſio, tunc maximè facienda, quando humores fluunt, vel proximè ſunt fluxuri; quod cum contingat in acceſſione, vel paulò ante, in acceſsione pariter, vel paulò ante vena erit ſecanda; quod quam abſurdum ſit, & per ſe eſt euidens, & latius infrà à nobis explicabitur.

Non expedit igitur humores cum ſanguine à venis maioribus, aut iecore ad venas medias fluentes retra-

here, ac reuellere, ſed è venis, à iecore, & à corpore abducere; ita namque ſubtracta materia fluxura, fluxio rectè compeſcitur, vt alibi declaratur; vnde malè ex eo inferebatur, venę ſectionem in partibus inferioribus reuulſionis gratia in febribus malignis etiã continuis proportionatis eſſe inſtituendam.

Quod ſi tamen adhuc reuellere oportunum eſſe quis mordicus contendat, animaduertat non ideò ſemper in partibus inferioribus celebrandam fore phlębotomiam, cum enim materia è partibus ſuperioribus effluat non minus, quam ab inferioribus, et ad venas medias ſimiliter, quæ per partes tam infrà, quã ſupra iecur, diſſeminãtur, irruat, ſi venæ reuulſionis ergo tundendę ſint, ſuperiores ęquè incidere expediet, ac inferiores.

Ad febres tandem intermittentes ſermonem conuerto: harum nomine febres intelligendæ, quæ manifeſtè aliquando deſinunt, tempuſque aliquod habent per ſe acceſsione vacuum, quod infebricitationem, ſeù intermiſsionem vocamus, ad differentiam Antiquorũ, qui omnes febres, ſynochis exceptis, intermitentes appellabant, eo quia in ipſis fieret caloris modò incrementum, modò remiſsio, vt explicat Galenus lib. 4. epid. com. 3. tex. 2.

Sunt huiuſmodi, quoniam vapores putridi à quibus in corde calor febrilis accenditur, non continuè, ſed per interualla quædam ad illud feruntur, & per certas periodos illud affligunt.

Nonnullę ex illis fiunt cum motu materiæ, aliæ ſine motu, vnde in aliquibus idem locus minera ſimul,

& fo-

& focus putredinis existit, in alijs diuersa habentur loca focus, & minera.

Porrò materiam febrium intermittentium in prima corporis regione, vt plurimum produci, & cumulari, ventriculo scilicet, mesenterio, caua iecoris, & alijs circa pręcordia visceribus, cõmunis est omnium ferè Medicorum sententia. De loco autem in quo putrescit, & accenditur variæ, ac diuersę habentur opiniones, quas omnes recensere, & expendere non est huius loci; Nobis enim sat est in præsenti assumere cum Augenio lib. 5. de feb. cap. 4. quod vel putrescit materia in prima corporis regione, vt censuit Fernelius, vbi genita fuit, & cumulata, absque eo quod moueatur, & vapores in cor transmittens febrem inducit; vel per motum, aut in venas communes detruditur, & expellitur, vt placuit Argenterio, & Sennerto; aut in capillares, vt arbitrati sunt Claudinus, & alij, vel in ambitum corporis, vt cum Gal. Altimarus & cæteri senserunt, ibique putredine concępta eodem planè modo febrem producit, si simplici labefactata putredine, simpliciter putridam, si excellenti, sordida, & venenata etiam malignam; hinc enim sat elucescet, an ea reuulsio in illis admittenda sit, quæ ab Augenio, & alijs in febrium curatione adeò expetitur.

Quod in febre, quę ex materię putredine in primis viis absque fluxione, & motu generatur, reuulsio locũ non habeat, non indiget probatione, vbi enim non adest materię motus, ibi non est inducenda reuulsio.

Quod

Quod verò in alijs etiam, quæ cum materię motu fiunt, idem ſit ſtatuendum, ſuperius allatis rationibus manifeſtè conuincitur; Primò enim ſi materia aliena à ſanguine, & extrà venas ſit (loquimur enim de reuulſione per ſectam venam) hæc phlebotomia non eſt mouenda, ſed pharmaco. Secundò cum non fluat ad cor, aut aliam principem partem, non eſt pariter retrahenda; Tertiò, & eò minus quod fluit, & defertur quò maximè conuenit, cum ad partes exteriores, à corde magis diſtantes, minus nobiles, & à quibus poteſt facilius depelli, & euacuari, vel per inſenſibilem tranſpirationem, vel per ſudorem, decurrat, & propellatur.

Omitto quod vel ſingula, vel tertia, vel quarta, quaque die prout in ſingulis fiunt acceſsiones, eſſet inſtituenda reuulſio, & vena incidenda, & vel in ipſo paroxiſmo, vel paulò ante, quo nihil abſurdius;

Et tandem quod ſic haberetur ratio ſolius paroxiſmi particularis, & materiæ quæ ſingulam facit acceſsionem, quod non eſt ad rem; materiam enim, quę ad paroxiſmum particularem efficiendum defertur, & confluit naturæ incumbit abſumere, & expellere, & illud de facto pręſtat; in hoc enim conſiſtit ratio, cur febris intermittat, vt docuit Gal. 2. de diff. feb. cap. vlt. Quare non eius materiæ, quæ præſentem producit acceſsionem, ſed eius, quę nouos factura eſt paroxiſmos à Medico habenda eſt ratio; & hoc non ſolùm in intermittentibus, ſed & in continuis proportionatis locum habet, & illud eſt quod dicebat magiſter lib.

2. aph. tex. 22. huiusmodi opus esse quoddam mixtum ex præseruatione, et curatione; licèt tamen prędictæ causę ablatio, curatio sit, vt habet lib. 11. meth. cap. 2. cum impossibile sit curare morbum talem, non sublata causa; ea autem in casu nostro cum in parte contineatur, non reuellenda est, sed euacuanda.

Reliquum est vt motus, & fluxus sanguinis ab exterioribus ad interiora, seu ad focum putredinis in febrium accessionibus contingens, continuis proportionatis non minus fortasse, quam intermittentibus communis, de quo locutus fuit Gal. loco ab Augen. cit. iam expendatur; ex quo quam malè deducat idem vir doctus secandas perpetuò esse inferiores venas, vnico patet intuitu, considerantibus; Cum enim moueatur sanguis tunc temporis ab extra, ad intra, postulat reuulsionis ratio fieri eius retractioné ab intra, ad extra; quod cum non minus pręstent venarum superiorum sectiones, quam inferiorum, aperto in errore versari, qui ob illum motum semper inferiores venas tundendas statuunt, manifestè conuincitur.

Quæ igitur dicturi sumus pro ea sententia expugnanda non sunt necessaria; placet tamen in ea, & Gal. verbis considerandis paulò digredi, vt saltem multorum errores melius detegantur, & vera in hisce difficultatibus procedendi methodus palàm fiat.

Exponebat Vir ille Clariss. quomodo febres, quæ circuitus habent, ac periodos producantur; & multis suo more doctissimè exaratis, docebat tandem, euenire aliquando, vt vna pars superfluitates ge-

neret, & postea cum robustior sit ad aliam imbecilliorem eas detrudat, atque principium illi febricitandi afferat; contingere aliàs, quod cum easdem nequeat expellere, aut propter sui imbecillitatẽ, aut viarum obstructionem, tale ijsdem contentis sibi constituat febricitandi principium, quale alteri, dum illas ad eam transmittit afferre solet; putrescunt quippè in ea ipsa superfluitates, & fluxionis rursus aliarum in eundem locum causa fiunt, quæ postea cum difflari, aut euacuari nequeant, vna cum prioribus putrescunt, & simul omnes febrilem caliditatem in membro, & parte producunt.

Hoc exposito subiungit, *sed & retro ostendimus vbicunque accenditur, atque augetur caliditas istuc ab alijs partibus sanguinem solere confluere, quo verò tempore confluit, illas quidem priuatas sanguine refrigerari est necessarium, quod verò patitur membrum grauari, ac distendi, ac sanguinem ipsum confluentem alterari, hocque duplici ex causa, & quia alijs, quę putrescunt superfluitatibus admiscetur, & quoniam intrusum difflari non potest, quo fit, vt instar lignorum humidorum, quæ paucam vniuersim super flammam proiciantur, succendatur, atque hoc tempus accessionis principium nuncupatur; cum verò iam caliditas materiam conuicerit, tunc huiusmodi tempus, & augmentnm, & ascensus vocatur; in hoc verò vsque adeò calor augetur, vt non modò locum exurat, qui est quodamodo putredinis focus, sed & continuatim per totum corpus dispergitur;*

At cum iam ad summum feruoris deuenerint humores ac-

censi, id accessionis tempus consistentia appellatur, tunc verò vniuersum laborantis corpus igneum videtur, extensa per totum animalis corpus caliditate; hinc verò si humores fuerint tenuiores, potentia robusta, corpus rarum, maxima humorum putrescentium pars in sudorem ressoluta euacuatur; si verò hi crassi fuerint, vis autem expultrix imbecillis, & vię angustę, nihil quidem effluit sensui manifestum, sed id solum, quod ita est extenuatum vt in subtilioris humoris naturā transierit, tunc huiusmodi tempus declinatio appellatur, quidam feruescentium humorum diflatus existens; sed cum in parte remaneat affectus, necessarium est in ipsa superfluitatem aliam generari, cum id quod denuò ad ipsam alimentum attrahitur, non totum conuincatur, quę rursus, vt antea dictum est, a putridis superfluitatibus in parte relictis, & proprio vitio putredinis principium accipit, & cum satis caluerit, rursus ad eam influit; quemadmodum antea ex alijs animalis partibus sanguis, atque eodem modo rursus principium, ascensus, consistentia, declinatio alterius fit accessionis. ita Gal. cuius singula uerba placuit adducere, quia multa continent consideratione digna, & ad pręsentis quęstionis elucidationem, quammaximè facientia; quorum primum est;

Solere quidem fluere sanguinem ad locum, seu focum putredinis, quo tempore febris oritur, sed in tantum moueri, in quantum prius in eo accensa est febrilis caliditas, qua mediante pars est calefacta; quare ille sanguinis motus, atque confluxus nō est causa primaria febris, licèt, eo mediante, eidem postea incre-

mentum

mentum accedat, vnde ſanguis confluens per ſe non producit febrem, quamuis illam adaugeat.

Secundum, quod, fluente à partibus alijs ſanguine partes à quibus diſcedit, refrigerantur; vnde etſi videatur vniuerſaliter verum dictum illud, vbicumque accenditur, aut augetur caliditas, illuc ab alijs partibus ſanguinem ſolere confluere, in febribus tamẽ videtur coarctandum; cum enim afferat ſignum Galenus, quo cognoſcitur, quando ab alijs partibus ad locum concalefactum ſanguis refluit, dicens, partes illas neceſſariò refrigerari priuatas ſanguine, non abſque ratione infertur, non ſemper, & in omni febre ad focum putredinis talem fieri confluxum, quia neque ſemper, neque in omni febre talis apparet partium refrigeratio; quæ tamen ſanguine, & calore ad interiora recurrente manifeſtè ſe exerit, vt patet in Lypiria; quare vel non apparente, vel ceſſante partium refrigeratione, ſanguinis ſimiliter refluxum, vel non fieri, vel remitti licèt argumentari.

Tertium, fieri huiuſmodi motum, & fluxum in acceſsione, immò tempus quo refluit ſanguis præcisè acceſsionem vocari, vt ſonant manifeſtè verba contextus, & explicat Augenius lib. 5. de feb. cap. 4. dicens, *nam quotidiè obſeruamus calorem naturalem, & ſanguinem retrahi ad viſcera acceſſione inchoante, ſic Galenus teſtatur lib. de rigore, & conuulſione cap. 7. ſcribens, inclinare, in corporis altum ſanguinem, ac ideò eius exteriora refrigerari.*

Quartum, ſanguinem in partes penitiores corpo-

ris defluxum in accesſione, in augmento ad exteriores rurſus regredi, & in declinatione cum alijs ſuperfluitatibus, vel per inſenſibilem tranſpirationem, vel per ſudorem abſumi, & euacuari.

Quibus animaduerſis dicendum cum Sennerto lib. 2. de feb. cap. 4. eorum opinionem, qui ſanguinem mittẽdum cenſent, quatenus peccat ratione cauſę adiuuantis (quatenus ſcilicet in periodo febrium ad focum confluit) vix locum habere, addo ipſe, nullo modo admittendam; Primùm, quia ſublata ſanguinis abundantia, non facilè fiet aliquis talis confluxus, quod ſtatuit magiſter eodem loco ſcribens, *illud enim compertum habetur, quod ſemper in corporibus plenis, aut in quibus inutilis materia redundat, magna portio ad eas defluit partes, quę vehementius incaluerint, in ijs autem, quę ſuperfluitatibus vacant, admodum pauca*, & ex ijs, quę libro 11. metho. habet cap. 10. manifeſtè ellicitur, vbi *affluxum affluentium humorum euacuata multitudine compeſcendum pręcipit*; & ſanè euacuata humorum abundantia, fluxum cohiberi, ita certum eſt, vt & ipſe Augenius illud non negauerit, lib. namque 7. de ſang. miſſ. cap. 9. ita ſcriptũ reliquit, *at ſi vitio totius contingat fluxio propter affectum pletoricum, vel malam aliquampiam qualitatem irritantem, aut ob affectum diſtantium partium, tunc à totius vacuatione exordiri curationẽ expediet*, & Thurrinus Aduerſatio ſuo Montiſiano, cum quo pugnat accerrimè illud etiam conceſſerit, *nulla, exactius*, aſſerens, *compeſci poſſe humorum affluxum ratione, quam euacuatione*, & quod de ſanguine dici-

dicitur; de alijs pariter humoribus ſtatuendum eſt, ſi enim eorum fiat à locis, in quibus continentur, antequam fluant, euacuatio, cohibebitur abſque dubio eorum fluxus, & ita alia reuulſione non erit opus;

Secundò, quia non ſemel tantum, ſed ſępius venam incidere eſſet opus, ideſt quotieſcunque fieret febris inuaſio; tunc enim fit ſanguinis, & humorum motus, atque confluxus; atque in tantum reuellitur venę ſectione ſanguis, in quantum eius loco, qui à vena inciſa prodit, alius ſuccedit, quare clauſa vena, ceſſat reuulſio, vt cum Cornelio Celſo, & alijs doctis viris alibi declarabitur.

Prętérquamquod in ipſa acceſsione, vt patet, vel paulò ante, illud eſſet peragendum, quod expreſsè Galenus prohibet in pręſagio exper. confirm. & in ſola declinatione faciendum conſulit lib. de ſang. miſſ. cap. 22. cuius rationem reddit doctiſsimè Fernellius lib. 2. meth. med. cap. 13. ſcribens, *vacuatio non excandeſcenti, ſed miteſcenti morbo afferenda; natura quidem plerumque febriũ maximèque intermittentium inuaſionibus vomitus, & declinationibus ſudores commodè ciet, quo tempore nobis etiam licet vtiliter promouere, at non vel alui deiectionem, aut venę ſectionem; in acceſſionibus ab his omninò temperandum eſt, vt quas neque natura tum molitur, ſed ſi quæ fortè incidunt, ſolius morbi feruore, impetuque fiunt; nulla huiuſmodi euacuatio, quę vires ſupra modum laceſcit, in tanta acceſſionum, quaſi fluctuum agitatione tutò obiri poſſet.* quibus ijſdem rationibus ab ea operatione tunc temporis abſtinendum eſſe omnes fatentur

tentur

tentur Medici, quos recenſere nimis eſſet longum.

Quartò quia abſque neceſsitate id fieret, & eſſet ſuperfluum, cum humores, qui in principio mouentur à circumferentia ad centrum, in augmento, & ſtatu à centro ad circumferentiam regrediantur, in declinatione per inſenſibilem tranſpirationem, vel ſudorem euacuentur, & diſcutiantur.

Et ſanè, ſi ex eo ſanguinis motu deſſumenda eſſet pro febrium curatione reuellendi indicatio, Galenus, qui in omnibus artis operibus fuit prǽſtantiſsimus, & in traddenda methodo medendi omnium acuratiſsimus, huiuſmodi indicationem nequaquam omiſiſſet, quod tamen ab eo factum, eius opera euoluentibus fiet manifeſtum, neque enim in libris methodi, vbi exactè pro febribus curandis indicationes expoſuit, neque de arte cur. ad Glauc. neque alibi eius meminiſſe indicationis, compertum eſt;

Et ſumma quidem ratione, quoniam ex eo ſanguinis motu non producitur primariò febris, ſed ex ſuperfluitatum putredine, & in tantũ concitatur ſanguinis confluxus, in quantum à ſuperfluitatibus eiſdem putrefactis augetur in parte caliditas.

Denique, vel conſideratur ſanguis vt fluxurus, vel vt fluens, vel vt fluxus; ſi primum cum in partibus ſibi à natura deſtinatis contineatur, & ibi quieſcat immobilis, ab illis eſt euacuandus; materię ſiquidem in parte exiſtenti competit euacuatio, & facta eductione materię fluxibilis, & fluxurę fluxionem commodiſsime, & optimè inhiberi demonſtratum eſt; ſi

ſecun-

secundum, in accessione facienda esset reuulsio, & vena incidenda, quo nihil absurdius; si tertium, vel rursus eius facienda euacuatio, vel opus naturæ committendum, & relinquendum, naturæ enim incumbit, sicuti cæteras superfluitates, ita & sanguinem cum eisdem commixtum, & putrefactum discutere, et euacuare, quod & de facto præstat, vt supra cum Galeno asserebamus.

Præterquamquod cum ideò fluat, quia à calore in parte à putredine accenso fit eius attractio, habita humorum putrescibilium euacuatione, et putredinis curatione, calor in parte non amplius excitabitur, aut augebitur, sed extinguetur, & cessabit per consequens sanguinis fluxus eius remota causa.

Sed demus, vt aliquid etiam contrariæ sententiæ Auctoribus concedamus, quod sanguinis ille motus sit reuellendus; postulat reuulsionis ratio, ipso asserente Augenio, fieri illam in contrariam partem, & motu instituto ad contrarium, quam humor ipse cõfluit; igitur ab intrà, ad extrà erit auuertendus; hoc autem non minus fiet sectis superioribus venis, quam inferioribus; quando præsertim non minus, immò fortasse magis, à partibus supernis refluat, in quibus magis abundat, quam ab infernis, qua ratione in dolore nephritico, licèt sanguinem non minus in cubito, quam in poplite vena incisa liceat extrahere reuulsionis ergo, expedire nihilominus sanguinem mittere magis ex cubito statuit idem Augenius lib. 7. de sang. miss. cap. 6. in fine; ratione igitur motus sanguinis

in febrium accessionibus, aut non est instituenda reuulsio, aut ea ratione vena in partibus inferioribus non est perpetuò secanda.

Multò minus ratione caloris; tantum enim abest quod ex caloris, & spiritus ad interiora recursu faciendi reuulsionem emergat indicatio, quin potius, si ita loqui liceat, motus ille sit promouendus, & adiuuandus; reuocantur enim tunc tèporis ab exterioribus ad interiora calor, & spritus à natura, vt notat Fernelius lib. 4. de feb. cap. 10. quasi in sui opem, atque subsidium, *sagax enim natura*, vt eleganter exponit doctiss. meus Sigismundus Nigrisolus Medicus sua tempestate clarissimus decis. 4. *cum persentiat humores in profundum vergi, timens nocumentum, quod ex motu humorum in profundum versorum potest accidere, & de inflammatione, vel eius augumento, vel alijs sympthomatibus, reuocat naturalem calorem totum simul vnitum ad profundum, vt sibi opituletur, & humoribus ressistat, eos præparando ad digestionem, si vis valida fuerit, vt vult Galenus, vel ipsis digestis, eosdem sensibiliter, vel etiam insensibiliter expellendo, vel ressoluendo, vel saltem probibendo, ne humores ipsi ad intra corpus effręniter ad membra nobilia suo libitu vagando percurrant;* quare impium tunc esset calorem, & spiritus ad exteriora euocando, tantum pręsidium strenuissimæ morborum debellatrici furari, atque abripere, vnde humorum sibi infensorum pondere oppressa, corrueret, atque succumberet; & hęc, quo ad expositas, pro statuēda reuellendi indicatione, ab Augenio rationes, dicta sufficiant.

Subiun-

Subiungit deinde, *vrgere pręterea mihi videtur morbi natura, quam venenatam esse traddidistis; at vbi venenum cor obsidet, nihil potest inueniri pręstantius, quam attrahere illud ad partes maximè distantes, & quę ignobiles existunt; fieri posse attractionem venenati humoris à venis inferioribus vacuatione facta, multòque tutiorem esse, quam si quis cubiti venam incideret, non est meo quidem iudicio ambigendum;*

En alia ratio, ob quam secandas venas inferiores autumat, in qua maximè fidunt, qui eam sequuntur opinionem, vt scilicet eò trahatur venefica qualitas; vnde, & ansam arguendi venarum superiorum sectionem arripuerunt, dicentes, celebrata in brachijs phlebotomia trahi sursum materiam, & ad cor duci, quod ijs, qui artem medicam non calent, eam operationem non parum suspectam reddidit.

Verùm in eo primùm, mea sententia, aberrat vir doctisimus quod asserit, vbi venenum cor obsidet nihil posse inueniri pręstantius, quam attrahere illud ad partes maximè distantes, & quæ ignobiles existunt; multò namque pręstantius, vt reor, videbitur vnicuique, etiam artis ignaro, illud è corpore expellere, & deturbare, vel aptis alexipharmacis infringere, ac edomare; cum enim venenum sit toto genere præter naturam, indicatio, quæ ab illo dessumitur, est eius euacuatio, & eradicatio, non ab vna in aliam partem retractio; *id enim quod omninò alienum est, nulla ratione fieri potest, vt naturę gratiam recipiat, sed educere quamprimum est tentandum* inquit Magister lib.

 4. de

4. de tuenda sanit. cap. 3. & 2. aphor. tex. 17. nec non 9. meth. cap. 10. quare venenata qualitas etiam in febribus malignis è corpore protinus est educenda; ac elliminanda, vel contrarijs medicamentis nempe alexipharmacis infringenda, & debellanda iuxta eiusdem præceptum lib. 13. meth. cap. 6. & lib. 6. epi. tex. 5. & quoniam ea in sanguine, & humoribus putrescentibus resſidet, & stabulatur, peccantibus humoribus euacuatis, & ipsa educetur, & illud est quod doctiss. Mercatus aiebat, *quod minus superest veneni sanguine misso,* quod & confirmat Mercurialis trac. de pestil. cap. 26. vbi docens in febribus etiam pestilentibus veris sanguinem mittendum, allata Auicennæ auctoritate, subiungit, *facit, & ratio, quia si venenum citissimè, citra omnium controuersiam est à corpore tollendum, atque ipsum venenum ressidet in sanguine putrescente, planè si auferatur sanguis, consequenter fomes, & fundamentum veneni auferetur.*

Magis igitur expedit malignam, & venenatam qualitatem è corpore educere, quam ad inferiores partes attrahere; quocirca cum in sanguine, & putrescentibus humoribus resſideat, illi verò modo in venis superioribus, modo in inferioribus magis abundare soleant atque consistere, dessumpta à loco in quo insunt, & ideo malè affecto, euacuandi indicatione, & venam secandi, si id cętera permittant, modò in vna, modò in altera parte id erit exequendum, prout videlicet facilior, & promptior futura est vitiosi, & venenati succi euacuatio; exhausta enim hoc pacto

minera

minera, à qua putridus eleuatur vapor, qui cor lacescit, fumosa, & fuliginosa desinet effumatio, vt animaduertit Galenus lib. 8. meth. cap. 4. adaucta extinguetur caliditas, & febris euanescet; an verò secta in brachio vena, materia praua, & maligna sursum ad cor, vel ad alias principes partes trahatur, & perducatur, suo loco manifestabitur.

Tandem subdit, *motus etiam naturæ in pestiferis hisce febribus indicat nobis quid agendum sit, solet enim natura materiam venenosam in inguinibus, expellere &c. cur igitur nos illius imitatione non ducemus humores malos ad infernas partes?*

At nos concedimus quidem, si natura transmittat humores ad infernas partes, eius imitatione debere medicum eò pariter ducere, & à partibus inferioribus tunc temporis sanguinem exhaurire; non negamus enim dari etiam casus, in quibus venas in talis, seu poplitibus sitas, expedit incidere, vt sumus postremò exactè explicaturi.

Monitos tamen viros doctos volumus, qui Aug. sequuntur, in febribus malignis, & pestilentibus non semper naturam humores prauos, & venenatos ad inguina expellere, sed ad axillas quandoque, & alias superiores partes eos detrudere, quo in casu à venis inferioribus non esse educendum sanguinem, ne praua, & venenata materia ad cor trahatur, seu per illud perducatur, alibi adnotauimus, ita consulunt medici clarissimi, Manardus Patriæ meæ splendor lib. 5. Epist. Epist. 3. vbi scribit, *quæ autem vena secanda sit,*

his co-

his cognoſcendum, ſi tumor, vel dolor in collo, vel ſupra apparet, vena cephalica ſecanda eſt; quæ ſupra cubitum in parte exteriori inuenitur; ſi à collo vſque ad pudenda, vena iecoraria, ſi in inguinibus, vel infrà, vena, quæ eſt ſuprà talum interior, quam ſaphenam vocant; Mercurialis lib. de peſtil. cap. cit. aſſerens, *ſi malum ſe prodat in partibus ſuperioribus, à baſilica ſanguis mittatur, ſi in inguinibus, coxis, &c. ſubtus iecur, potius elligenda erit vena poplitis, vt quemadmodum in illis partibus ſe exonerare natura tentat, ita ei auxiliemini*. Iulianus Palmarius de feb. peſtil. cap. 23. vbi expoſito quod in febre peſtilenti mittendus ſit ſanguis, *mittendus*, inquit, *è pede quidẽ, aut poplite, ſi bubo protuberet in inguine, aliaue parte infrà lumbos ſita, è brachio verò, ſi in faucibus, aut axillis, aut alijs partibus, quæ renes ſuperant; ſi nec bubo, nec carbunculus inerit, baſilica pertundatur*. & deniquę vt alios omittam, Zacutus lib. 4. de medic. prin. hiſt. hiſt. 48. de phlegmone peſtifero aſſerens, *ſi dolor, aut tumor in collo, aut iuxta aures exiſtat, humeraria ſècanda, ſi ſub alis, iecoraria, aut media, ſi inguina, aut inferiores partes occupet, ſecanda ſaphena*; hancque eſſe omnium medicorum methodum affirmat;

Ex quibus conſtat errare Augenium, & alios hoc etiam in loco triplici ratione, primùm, quia melius exiſtimant attrahere venenum ad infernas partes, quá è corpore extrahere, quod quam ineptum ſit modò ſuprà oſtendimus. ſecundò quia ſemper facere naturam in partibus inferioribus abſceſſus ſupponunt, quod eſt manifeſte falſum; tertiò quoniam ex par-

ticulari dedducere nituntur propositionem vniuersalẽ, quod maxima reprehensione dignum esse, scolastici norunt.

Expensis hoc pacto Augenij, & aliorum rationibus pro venę sectione in partibus inferioribus perpetuò in malignis febribus molienda, cum tamen generosum hoc pręsidium ab earum curatione non sit penitus excludendum, atque elliminandum, vtpotè quod à viris famatissimis maxima cum ægrotantium vtilitate multoties suo loco, & tempore in vsum ducitur;

Quibus rationibus, & inquibus casibus eo ex arte, & methodo vtendum sit, restat considerandum, omissis pro nunc suppressis vel hæmmorroidum, vel mensium euacuationibus, dequibûs nemo ambigit; vt saltem sciant, & valeant qui illud indiscriminatim, vno, vt inquit Gal. calopodio omnes calceando, & semper in omnibus malignis febribus administrant, præter decantatam reuellendi humores fluentes à corde indicationem, alias reddere causas, quibus in curatione febrium malignarum locus illi supersit, & sit concedendus.

Non disputabimus, an in malignis febribus conueniat missio sanguinis, & an per venæ sectionem, aut per hirrudines, aut cucurbitulas ea sit molienda; de his enim diffusè, atque doctissimè fuit actum à viris sapientissimis, quos potest vnusquisque consulere suo libitu. sed eorum subscribentes sententię, qui in febribus malignis reperiri vt plurimum indicantia,

& per-

& permittentia generoſum illud, & magnum auxilium, venę ſectionem, cum prohibentium abſentia, ſtatuunt, quam pariter admittunt Augenius, & qui eum ſequuntur, venam ſi non ſemper, frequentiſsimè tamen eſſe ſcindendam, aſſerere non dubitamus.

Porrò, cum multa ſint, quę venam eſſe incidendam in febribus malignis poſſunt ſuadere, præcipua tamē ratio, quę illud videtur demonſtrare, eſt materię peccantis, à qua febris producitur, vel fouetur euacuatio; Eſt enim venæ ſectio pręſidium per ſe, & primariò euacuatiuum, & euacuandi gratia primò adhibetur, vt docet Gal. lib. 9. meth. cap. 11. cui conſentit Augenius lib. 2. de ſang miſſ. cap. 17. licèt non contemnenda ſit tamquā reuulſorium etiam præſidium, vt idem notat magiſter lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. c. 11.

Hinc eſt, quod eius indicans proprium, & primarium ſit materia peccans minuenda, & euacuanda; idcirco in febribus, tum putridis ſimpliciter, tum etiam malignis, nec non peſtilentibus primò & per ſe inſtituitur phlebothomia, vt materia, quę exuperat & ita naturę infenſa eſt vacuetur, è corpore educatur; & ſi aliquando etiam, vbi opus fuerit, & deriuandi, & reuellendi gratia adhibeatur.

Quę cōmuniſsima ratio pro venę ſectione celebranda ab omnibus admittitur, nec audent eam negare, qui venam in partibus inferioribus ſemper tundendam autumant; & habetur expreſſa à Gal. lib. 11. meth. cap. 10. & alibi, vbi indicationes exponit pro febrium curatione, & apertiſsimè ellicitur ex fama-

tiſsimo

tiſsimo eius decreto alibi expreſſo *ſaluberrimum eſſe mittere ſanguinem in omni febre putrida &c.* eius enim aſsignans rationem, inquit, *leuata namque natura, quę corpus noſtrum regit, exonerataque eo, quo veluti ſarcina premitur, haud ęgrè quod reliquum eſt vincet &c.* conſtat etenim quod, ſi leuanda, & exoneranda natura ſit à premente ſarcina, materia illam grauans & opprimens è corpore eſt educenda.

Quoniam verò materia naturę infenſa poteſt eſſe vel ſanguis, vel alius humor, & ſanguis vel inculpatus, & ſola peccans copia, vel praua qualitate affectus, atque putreſcens, hinc orta olim diſſenſio inter artis medicæ Proceres, & qui prius vnanimes fuerunt, atque concordes, in varias ac diſsidentes ſententias abierunt; nonnulli enim ſanguinem ſolum venæ ſectionem expoſcere mordicus tenuerunt, alij cæteros etiam humores, dummodo mixſti cum ſanguine in venis reperiantur, eandem admittere conſtanter affirmarunt; & rurſus non defuerunt, qui ſanguinem tantum extrahendum aſſererent quando ſola copia peccat, nõ qualitate, eoque putreſcente venę ſectione mouere nefas exiſtimarunt, Galeni ſententiæ perperam inhęrentes lib. 11. meth. med. cap. 14. qua videtur ſtatuere venę ſectionem putredinem non curare: Oppoſitum tenuerunt alij, & putredine ſanguinem adhuc coinquinante conueniens eſſe præſidium phlebothomiam aſſeuerare non dubitarunt.

Quas omnes opiniones exactè expendere, & argumenta, quæ pro vnaquaque afferuntur attentiùs con-

ſiderare non eſt huius loci, & nimis in longum produceret orationem, quare diſputationibus omiſsis, quarum plena exſtant volumina, veriori principum medicorum ſentētię inhęrentes, dicimus, venę ſectionem indicari quidem à copia, & multitudine minuenda, & euacuanda; verùm nomine multitudinis non ſolam ſanguinis puri, & ſinceri, prout ab alijs humoribus diſtinguitur, & ſeparatur, exuperantiam eſſe intelligendam, aut etiam maſſæ ſanguineæ, quæ ex omnibus conſtat humoribus proportionaliter mixtis, nondum putredine coinquinatę adauctam multitudinem, à qua pletoria vera à Medicis hodiè vocata exoritur, & conſtituitur, ſed ſanguinis quamcumque, & reliquorum etiam humorum abundantiam cum ſanguine commixtam, dummodo in venis conſiſtat, quam deſcribit Gal. lib. 2. de comp. med. ſec. loc. cap. prim. ſiue putredine labefactata ſit, ſiue nondum putrida, vt eidem probari com. 2. aph. t: 17. euidens eſt vbi legitur *nunc verò hoc tantum ſufficiet adiungere ijs, quæ à nobis prius ſunt enarrata, quod incipere quidem poteſt ea, quæ ad vires refertur multitudo abſque corruptione, verùm non poteſt bona permanere, nam omnino neceſſe eſt, vt ſecundum qualitatem tranſmutetur, & proceſſu temporis corrumpatur, verùm etſi iſtud fiat, interim multitudinem ipſam nominabimus, donec ex ſuperflui euacuatione reſſiduum bonum fieri poſſit;* ex ea enim pletoria notha, & non pura producitur, & conſtituitur, quam venæ paritèr ſectione tollendam eſſe habetur expreſsè ex eodem, loco cit. & cap.

11. lib. 9. met. vbi legitur *venę sectionom euacuandi sanguinem gratia instituі prout inutilis est naturę, fieri autem inutilem vel cum propriam qualitatem ad vnguem non seruat, vel cum ita multitudine creuit, vt vires premat*, & est illud quod intelligebat Auicena lib. prim. fen. 4. cap. 20. scribens *phlebotomia est euacuatio vniuersalis, quę multitudinem euacuat, multitudo autem est augumentum humorum super æqualitatem ipsorum in venis*, & paulò post *vnusquisque autem eorum, aut phlebotomatur propter sanguinis multitudinem, aut propter ipsius malitiam, aut prpter vtrumque.*

Quamuis enim phlebothomia sanguinem primariò respiciat multitudine peccantem, & pro demenda pura plethoria primariò instituatur, non minus tamen vtilis est, & ex arte instituitur in ea, quæ notha est, & non pura; ita omnes clariores Medici in pręsenti statuunt, quibus plenis votis assentitur Augen. l. 4. de sang. miss. c. 2. scribens, in cachochymia exquisita siue in venis, siue extra venas, non conuenire venę sectioné, at in ea, quę non ita sit exquisita, (quam etiam haud immeritò plenitudinem secundum quid vocare possumus) inutile non esse remedium; nō minus enim educi venæ sectione alios humores in venis existentes, quam ipsum sanginem, ita euidens est, vel ipsa autopsia, vt illud negare, sit ipsum sensum fallere.

Quoniam autem clarissimam hanc veritatem non desunt, qui in dubium reuocant, & vel suis ipsismet oculis fidem non habent, principum adhuc medico-

rum teſtimonia, & auctoritates in eorum gratiam placet adducere.

Quod igitur ſanguis, non ſolùm qualitate peccans, & alijs humoribus fœdatus, ſed & putreſcens, per venam ſectam commodè extrahatur, habetur expreſsè ex Hippocrate lib. 2. acut. tex. 10. vbi in Pleuritide aſcendente ſanguinem vſque ad coloris mutationem inciſa vena imperat educi, donec ſcilicet multò rubicundior fluxerit, aut pro rubicundo liuidus; quę mutatio coloris ex rubicundo in liuidum, indicat apertè hauriri venę ſectione ſanguinem non ſolum purum, ac ſincerum, ſed alteratum, tranſmutatum, ac etiam ſemiputridum; & à Gal. aſſeritur lib. 4. de ſanit. tuend. cap. 4. vbi proponens iuuenem pręter alia etiã in cruditates ſępe incidiſſe, & ita corpore affectum eſſe, vt totum malis ſuccis refertum ſuſpiciatur, ſi curatione pręſcripta adhibita malum adhuc perſeueret, ac perſiſtat, *de Valentiore* inquit *remedio eſt cogitandum*, & ſi laſsitudo adhuc infeſtet, *æſtimandum eſt*, ait, *cum ſanguinis copia, an per ſe ſolus conſiſtat vitioſus humor, qui laſſitudinem creet, nam ſi cum ſanguinis copia aut vena incidenda, aut aliud quod tantundẽ valeat agendum*. & paulò infrà, *pone igitur talem hominem ex mala victus ratione laſſitudine affectum, deinde ex his, quæ retulimus notis in venoſo genere apparere, ſubeſſe illi copiam ſemicrudorum humorum, in reliquo autem corpore toto multitudinem humorum ſanè mordacium, quos laſſitudo ſecuta ſit, auctus præterea illi quodammodo, & ſanguis eſto, maxime ergo, vt dictum eſt detrahere primò de ſanguine oportet,*

tet, deinde ſuccum illum qui ſuperat educere. nec non lib. 8. meth. cap. pariter 4. vbi methodum traddens curandę febris diarię ab obſtructione pendentis, ne tranſeat in putridam in corporibus naturę calidę, & ſiccę, ac proinde vitioſis ſuccis pręditis. hæc prorſus habet, *ſed quæ ex praua oritur obſtructione, ea vt dictum eſt, ſaltem inter initia diarijs ſimilis eſt, protracta tamen inclinatione ſuſpecta redditur, quamuis putredinis indicia in pulſu adhuc non appareant, quippe niſi vitioſus ſuccus penitus tranſpiret, neceſſe eſt vt putrefiat, ergo vt tranſpiret maiori auxilio eſt opus, ac ſiquidem vel puer, vel ſenex ſit ſanguinem extrahere non licet, inter has ętates, vbi robur ægro non deeſt, ſecanda vena, etiam ſi plenitudinis ſigna non adſint, pręſtat enim vitioſi ſucci maiori parte emiſſa ad detergendas obſtructiones accedere.*

Omitto quod ſynochum putridam in iuuene curauerit Gal. 9. meth. lib. cap. 4. venę ſectione vſque ad animi deliquium, vt ibi expreſsit his verbis *Is cum toto die multum laboraſſet, deinde lauatus pauca comediſſet, cępit nocte febricitare, totum etiam continuans ſequentem diem, hunc & nos poſt ſecundam noctem vidimus in cęteris quidem omnibus iam dicto iuueni ſimiliter affectum, verùm putreſcentium humorum euidentes præbentem notas, itaque vena quoque huic protinus inciſa vſque ad animi defectum vacuauimus;* Silentio etiam pretereo ſimili plane modo curandam docuiſſe cap. ſequenti; Quod pariter in eadẽ febrę, continente ſcilicet, ex putredine humorum, ſi vires valentes ſint, ſtatim mittendum eſſe ſanguinem imperauerit lib. 11. eiuſdem op. cap.

op. cap. 14. hac ſola addita cautione, vt tantum ſanguinis relinquatur, quãtum ad nutriendũ ęgrum ſufficiat, tẽpore curationis, quę putredini, & obſtructioni, alijs pręterea medicamentis debet adhiberi, quoniam, nec obſtructio, nec putredo per ſolam ſanguinis miſsionem curari poteſt;

Vbi addidi verbum illud, ſolam, vt verum pręceptoris ſenſum manifeſtum facerem, qui talis eſt, non quod in febribus à putredine humorum obortis reicienda ſit venę ſectio, eo quod putredinem, & obſtructionem non tollat, vt malè interpretantur ij, qui venę ſectionem ſolam ſanguinis abundantiam, & nondum putrefacti reſpicere arbitrantur, ſed quod ſicuti illas febres, quę ſunt abſque putredine ex toto poſſumus auferre abſque phlebotomia, illas tamen quę cum putredine humorum exiſtunt, hoc ſolo pręſidio euellere non poſſumus, ſed pręter venę ſectionem alia requiruntur remedia alibi expręſſa, vt alterantia, deobſtruentia, expurgantia, & huiuſmodi; & hanc interpretationem me docuit primùm res ipſa, & ratio, cum paulò attentius ipſas animo expenderem, ſed poſtea confirmarunt Thadęus Florentinus, etiam à Thurrino relatus in defenſione contra Montiſianum, & Zacutus lib. 2. de Medicum Princ. hiſt. queſt. 57. ita ſcribens, *phraſis hæc eſt vſitata Galeno, ſic etenim loquitur in lib. 11. meth. cap. 14. neque putredo, neque obſtructio ſanguinis miſſione curatur, hoc eſt, non ſola, quoniam vacuantia, & abſtergentia expoſtulant, alias enim eſſet contradictio, cum lib. 8. meth. cap. 4. & lib. 11.*

eiuſdem

eiusdem op. cap. 4. libentissimè in febre orta ex obstructione, & putredine sanguinem emittat; quod pariter apertè exprimitur l. 9. meth. cap. 10. vbi scribit, *porrò in ijs continentibus febribus quæ ex stipatione meatuum accenduntur, quoniam valida plerumque virtus est, citra periculum euacuatio adhibetur, in alijs verò morbis maximè est periculosa, veluti si fortè incidat in corruptellã humorum, de qua tempestiuum iam est mentionem facere, quò omnes mittendi sanguinem indicationes in hoc libro decidamus; ergo quod corruptum est, id alienum à natura est, quod tale est, id se auferendũ indicat; si igitur cum viribus imbecillis corruptella incidit, vtique quod affectus remedium est id cum virtutis custodia pugnat, siquidem affectus vacuandum esse pręcipit, idque vel vena incisa, vel purgatione.*

Idquę ipsum confirmant Fernellius lib. 2. meth. c. 4. & alij viri doctissimi, quos consulto omitto nec ipse negat Augenius, sed exactissimè probat loco cit. *vbi habet, putrescens verò sanguis duppliciter potest esse affectus, aut putredine incipiente, leui quidem illa, qua cum adhuc bonitas naturæ constitit, hęcque adhuc dicitur plenitudo inquit Gal. 2. aphoris. tex. 17. aut putredine sordida, & consummata, hęc amplius non dici potest plenitudo, vt pote quę in exquisitam cachochymiam degenerauerit; igitur hęc plenitudo secundum quid, siue cachochimya non exquisita, sanguinis missione tutò admodum corrigitur; causa est huius rei, quod venę sectio alia de ratione instituta non est, nisi vt vacuetur sanguis, & vacuandus, cum redditus est naturę inutilis, fit inutilis dupliciter, vno modo cum putrescit, alio modo cum augetur vt*

Gall.

Gal. docuit lib. 9. meth. 11. ars ipsa, ſubdens, *cum ſanguinis partes in venis adaugentur, aut à natura ſua mutari iam incipiunt, non inuenit aliud oportunius pręſidium vacuationis ipſa ſectione venę, non enim datur pharmacum ſanguinem purgans &c.* Et idem eſt quod docebat doctiſs. Sancta Cruz. lib. 3. de impedim. magnorum auxil. l. 3. cap. 8. ſcribens, *putrefactionem ſanguinis cõmune vitium non impedire ſanguinis detractionem, ſed poſcere, non tamen ita largiter, ac cum ſine putrefactione incaleſcit, nam materia peccans eſt ſanguis per venas euacuandus nullo modo ſubditus medicamento expurganti, neque alterantibus cohibendus, ideòque optima ratione fit, putreſcentis ſanguinis euacuatio, quia tantam quantitatem non poteſt natura vnire, & coquere; cum ſit ab ea grauata, & oppreſſa, leuata tamen poteſt, vt docuit Gal. vbi ſanguinis miſſionem in febribus putridis mittere ſaluberimum eſſe pronunciauit.*

Sed iam claudamus riuos, cum nimium fortaſſe digreſsi ſimus, quod tamen libétiſsime factũ, vt à nonnullorum animis falſa illa propoſitio eruatur, ac euellatur, venę ſectionem ſanguini putreſcenti, & alijs prauis ſuccis coinquinato minimè conuenire.

Conſtat itaque materiam in febribus, etiam malignis (quod enim in ſimpliciter putridis dictum eſt in illis pariter locum habet) venę ſectione euacuandam, non eſſe ſolum ſanguinem, eumque imputrem, & ſola copia peccantem, ſed & putreſcentem, & cum alijs humoribus in venis commixtum; quoniam autem, vt ex dictis conſtat, in tantum eſt facienda ſan-

guinis

guinis, & humorum euacuatio, in quantum naturam grauant, ac illi infensi, & molesti sunt, Tales autem redduntur vel quando in vniuerso corpore, & toto venoso genere exuperant, vel in aliqua particulari, & deteminata corporis parte abundant, & sic vel plenitudinem vniuersalem, vel particularem procreant, & constituunt, quemadmodum docet Gal. lib. de plenitud. cap. 4. & confirmat Augenius lib. 2. de sang. miss. cap. 6. scribens, *postrèmo conueniunt* (de plenitudinibus loquitur) *quod aliquando totum corpus afficiunt, aliquando determinatam eius particulam, illam quidem vniuersalem plenitudinem, hanc verò particularem, & localem nuncupamus*, nec non Mercurialis de feb. & alij omnes medici; manifestum hinc est non ab vniuersali tantum plenitudine, sed etiam à particulari dessumendam esse indicationem pro vena secanda, vnde optima ratione asserebat idem ad sang. miss. semper requiri aliquam plenitudinem, vel vniuersalem vel particularem, vel factam, vel futuram, & ita non à quacunque vena, sed ab ea, in qua vel sanguis, vel alij cum eo mixti humores abundant, vel ab illa, quę eidem proximior est, & maiorem habet comunicationem, faciendam per sectam venam esse euacuationem, Quemadmodum expresè imperauit Gal. lib. 13. meth. aducto dicens, *siquidem quod vacuandum sit, id communis indicatio est, vnde autem, & quommodo vacuatio sit facienda, id æger ipse docet locus*, & lib. de sang. miss. & alibi, vbi partibus superioribus affectis venas superiores tundendas affirmat, inferioribus inferiores.

Quod, & ratio manifestè conuincit, cùm enim omnis euacuatio culpabilem humorem respiciat, clarissimum est, quod qualis est locus in quo exuperat, & oberrat, talis debet esse locus à quo eiusdem fiat euacuatio; vnde absque vlla dubitatione infertur non quamlibet venam esse indistinctè incidendam, sed illam, quę à loco affecto, & in quo morbosus consistit apparatus, suggeritur, & indicatur.

Quibus sic se habentibus, quę vena in febribus malignis incidenda sit, non erit admodum difficile determinare, quod tamen vt commodius, & apertius fiat, cum febrium malignarum plures, sicuti & putridarum habeantur differentię, vt fuit explicatum, ne latum quidem vnguem ab ordine pręscripto discedamus, quid in singula agendum sit, & quommodo procedendum, quod erat vltimum principaliter propositum, iam explicandum.

Primo loco se offert febris maligna continens, quę à sanguine producitur, vel seorsim, vel cum alijs humoribus malignè putrescente, aut in omnibus vasis, aut in maximis circa cor existentibus, seu inter alas, & inguina locatis.

Si itaque morbosus apparatus in omnibus consistat vasis, in toto venoso genere, ibique maligna, & pernitiosa accedente qualitate, putrescat, & febrem pariat, Quęlibet vena secta poterit esse apta ad illum exhauriendum, vnde non minus in superioribus partibus, quam in inferioribus venam incidere, aut etiá hęmmorrhoides aperire, censebitur oportunum; nihilo ta-

lo tamē minus, cum in partibus ſuperioribus, vbi vena caua decurrit, quę eſt veluti corporis humani flumen ampliſsimum, ſaltem in viris, magis abūdet ſanguis, febrile efferueſcat incendium, venam in brachio, cęteris cōſentientibus, prius pertundere expediet, magis vtile exiſtet; huius namque apertio, atque inciſio à partibus ſuperioribus ſanguinem, & humores malignè in venis circa cor putreſcentes citiſsimè deturbare, & è corpore extrahere potentior eſt; & ratio ita ſuadet, quoniam licèt omnis vena è corpore euacuet, neque tamen æquè celeriter id prędſtat, neque ſimiliter, quemadmodum docet Gal. cum. 2. in lib. Hipp. de rat. vict. in morbis acut. tex. 10. quare ad eam, quę id præſtare magis eſt apta, eſt confugiendum, cuiuſmodi illam eſſe quæ in brachio inciditur docet apertè magiſter eodem in loco.

Præterquamquod illud animaduertendum, vt alibi obſeruat Petrus Salius doctiſsimus, quod licèt materia ſit ſparſa, tamen incendium maius eſt circa cor, aut viſcera, adeò vt longinquę venę ſectione non ita mitigari, & extingui flamma poſsit, ſicuti ex proxima; quocirca & vena incendio proxima, & ex maioribus erit incidenda, cuiuſmodi eſt baſilica, & ſi hęc nō appareat ei vicinia, quam velociſsimè euacuare, & plurimum ex his, quę principes ſunt partibus, & corpus inanire docet idem magiſter lib. 4. cit. op. tex. 24. atque ob eam cauſam ad eam in morbis acutiſsimis ſe contuliſſe Hippocratem affirmat. Quibus rationibus addendum quod huiuſmodi, ſectione maior ha-

bebitur diflatio, ac ventilatio, & insignior per consequens etiam refrigeratio, in febrium curatione quã maximè expetita.

Quo peracto, si adhuc perseueret febris, serpat maligna putredo, & sanguinem extrahendi vigeat indicatio cum prohibentium absentia, in cruribus, & alijs etiam partibus venas aperire fore vtile censẽdum, vt materię infensę, ac venenatę, vbique pateat exitus, eadem planè ratione, qua in cachochymia, quę vniuersum genus venosum ocupat, idem faciendum esse optimò consilio insinuat Magatus considerat. medicor. par. 2. quęst. prim. scribens, *si in omnibus venis redundent praui succi, non ex eadem vena mittendus semper sanguis, sed modo ex hac, modo ex illa, vt ex omnibus venis faciliùs quod vitiosum est educatur*; quod pariter pręstandum esse in summa, & maligna putredine monet Sanctacruz vir experientissimus cit. oper. cap. 8. dicens *quod ea gaudet multiplicatione numeri, & repositione melioris succi*, idemque fecisse Galenum in vitio, & corruptella sanguinis, renutriendo, & reparando, & contemperando medio alimento corruptionem ipsam, affirmans.

Si verò sanguis, & materia putrescens in vasis maximis cordi proximioribus, in trunco scilicet venę cauę supra iecur contineatur, quod euenire, vt plurimũ Mercatus, & alij viri doctissimi testantur, ita vt summa vigeat eò loci, & maligna putredo extrà verò in alijs nimirum vasculis puri, & citra aliquod vitium supersint humores, vt notum est fieri, & euidenti demon-

demonstratione à sanguine per venam sectam detracto probāt idem Mercatus, & Fęlix Platerus, qui in tract. de feb. causis scribit. *sanguinem vniuersum, nisi ad extremum vitium peruenerit, vix putrescere*; venam in brachio absolutè, & absque vlla hæsitatione secandam esse, pręsertim basilicam appellatam luce clarius existit; ea siquidem est, quæ ob euidentem, & immediatam, quam habet cum vena caua comunicationē, plurimum ab ea sanguinem, & humores vallidisimè prollicit, vt testantur diuinus Hippocrates 4. de rat. vict. in morb. acut. tex. 24. & Gal. in comentario, & in libris methodi aliàs adductis, Fernelius lib. de euacuandi rat. c. 11. Augenius idem vbique in suo opere de sang. misl. & cęteri omnes Medici.

Erraret quippè quam maximè, qui in febribus, vbi materia peccans, & praua in vena caua supra regionem hepatis, & circa cor consistit, secta vena longinqua, & à minera, & foco putredinis distantisima, puta in pede, vbi vel sanguis, vel alij humores naturæ infensi haud continentur, materiam, quæ educenda non est, sanguinem scilicet purum, & inculpatum, educere tentaret, ea in corpore relicta quæ naturæ infensa est, illam grauat, & opprimit, & reprehensione ea dignus esset, qua vtitur Gal. lib. de venæ sect. cap. 4. contra Erasistratum proponētem inediam pro euacuatione sanguinis fluentis ad phlegmonem, scribens *cur enim quis id euacuet, quod euacuatione opus non habet? aut cur aliquis elliquat carnes, cum*

sangui-

sanguinem subtrahere licet? quo pariter modo, & nobis eum, qui illud agere tentaret increpare liceret, dicendo nimirum, cur sanguinem imputrem audes euacuare, si putris est educendus? cur humorem naturæ vtilem, & familiarem educere, quando infensus, atque molestus, est subtrahændus?

Contrarium Sūmus Dictator imperat lib. de loc. in hom. sect. 2. num. 55. hisce verbis, *cęterum morbi ea parte, qua proximi sunt educendi sunt, & qua parte singulis exitus est, quam maximè extrahendi* illudque perpetuum esse præceptum diuini senis notauit Gal. lib. 6. aphor. tex. 36. dicens, *in suis libris in omnibus morbis existentibus in partibus, quę suprà hepar sunt, è manibus sanguinem mittere, in inferioribus autem existentibus venas, quę in poplite vel talo sunt, secare consueuisse;* cui & ipse plenis assentitur votis, vt pluribus in locis à nobis iam adductis satis est euidens.

Quod sanè & omnium sapientum Medicorum calculo confirmatur, qui statuunt, à parte affecta, & si id fieri nequeat à proxima, & cum ea comunicante faciendam euacuationem, ita ab eodem magistro edocti lib. de sang. miss. cap. 8. & 19. vnde optima ratione Romanorum Hippocrates Cornelius Celsus lib. 2. suæ medicinę cap. 9. scriptum reliquit, *mitti verò debet sanguis si totius corporis causa sit ex brachio, si partis alicuius, ex ipsa parte, aut certè quam proxima,* eorumque ignauiam qui aliter se gerunt admiratus, *neque ignoro quosdam dicere sanguinem quam longissimè inde, vbi lædit, eße mitendum, sic enim auerti materiæ cursum,*

sum, at illo modo in id ipsum quod grauat euocari, sed id ipsum falsum est, proximum enim locum primò exhaurit vbi is suppressus est, quia non trahit, ne venit quidem; certum est enim, inquit vir alius clarissimus, *venam in parte distantissima incisam noxium humorem ignauius, tardiusque concitare, neque hunc à sede laborante abducere, sed benignum dumtaxat tollere, & si copiosa sit hęc sanguinis missio, vitiosum è propria sede raptum sanguinem cum vtili, salutarique confundere, vnde redditur malum quod curandum erat, pristino deterius*, quod & optimè expressit Magatus considerat. p. 2. quest. 2. scribens, *in primis enim secanda est vena, quæ societatem habet cum parte in qua moratur trahenda materia, aliter nihil proficimus; si putredo sit in maioribus vasis, suprà regionem hepatis, & secemus venam in pede, vix sperari potest eius attractio, quod attrahendum foret, nisi magna valde fiat sanguinis euacuatio, quam fortasse vires non perferent, nimis quippe distant inferiores venæ à putredinis loco, at si secetur vena in cubito, præsertim iecoraria, quę amplam habet societatem cum vena caua, quę suprà regionem hepatis fertur, facili negotio quod molestum est eferetur.*

Hisque planè rationibus omnes ferè Medici in malignis febribus quoniam, vt alibi adnotauimus, putredo vt plurimũ consistit in vasis maximis circa cor, vbi per venam sectam euacuandi se offerat indicatio basilicam, seu illi proximam tundedam imperant, vt in eorum scriptis licet animaduertere, cuius sectionẽ materiam peccantem putridam non solum, sed vermiculis

miculis aliquando ſcatentẽ educere, Kirchero doctiſsimo aſſerente, notauit Petrus à Caſtro, & euacuare, ac inſuper incendium febrile, facta euentatione corrigere, ac putredinem inhibere patet euidentiſsimè;

Quod ſi præterea reuulſionem, aut deriuationem à foco, ſeu loco putredinis quis expoſtulet, hanc etiam eadem ſecta vena haberi, euidenter conſtat, trahuntur namque humores à centro ad circumferentiam, ab intra ad extra, quam eſſe ſpeciem reuulſionis à Gal. eodem expetitam ſcribit Oribaſius de reuulſ. cap. 20. cui & conſentit Augenius lib. 7. de ſang. miſſ. c. 32. & alibi, vt Manardum, Hieronymum Fabricium ab Aquapendente, & ceteros omittam viros famatiſsimos, qui ſecta eadem vena fieri euacuationem ſimul, ac reuulſionem non dubitarunt, quemadmodũ ex Gal. deducitur com. prim. in lib. morb. acut. tex. 10. alibi adducto, vbi in pleuritide ad mammã, brachium, & clauiculam ſe extendẽte in cubito venam præcipit incidendam, eo quod ſanguinem ab affecta parte & magis, & velociùs, tũ reuellere, tum euacuare poſsit.

Hinc eſt, quod inanis prorſus, & nullius momenti ſit illorum obiectio, qui aſſerunt, facta venę in brachio ſectione, trahi ſurſum materiam, & ad cor duci, certum eſt enim, vt pluribus rationibus oſtendit Magatus loco cit. omnem venę ſectionem à cẽtro ad circumferentiã trahere, ſeu in omni venę ſectione quod in penitioribus eſt partibus ad exteriores moueri, ad locum videlicèt vbi ſecatur vena; quod & confirmat doctiſsimus Sanctacrux de impe. magn. auxil. lib. 3.

cap. 9.

cap. 9. ſcribens, *ſecta vena omnes humores venarum mouentur ad orificium ſucceſſione neceſſaria corporum fluentium, aliter non fieret, tolendaque eſſet omnis reuulſio; humores ſecta vena reuelli ab internis, ad venas externas ſenſus demonſtrat, & per conſequens fluere ad locum vbi inciſa eſt vena; & ita quantum ad hoc non eſt periculum concurſus ſanguinis, & venenoſæ qualitatis ad interiora, & ad cor, quia iſtæ qualitates non habent motum proprium, neque ab extrinſeco proueniunt, vt in vera peſte, de qua aliter diſcurrendum, ſed mouentur ad motum ſubiecti in quo ſunt, ſcilicet ſanguinis.*

Animaduertendum autem, quod debita tantùm, & conueniens ſanguinis quantitas debet auferri, ne immoderata facta humoris effuſione, vaſa pręter modũ exhauriantur, & inaniantur, vnde alium ſanguinem atrahere ab vniuerſo corpore neceſſe ſit, quemadmodum monebat prudentiſsimè Magatus loco citato; Qua ſeruata conditione, ſi vena incidatur, tantum abeſt, quod prauam, & venenoſam qualitatem ad partes ſuperiores, & ad cor ducat, quin potius illam manifeſtè ad exteriores ab interioribus, & à corporis penetralibus ad extra abducat, quinimmo è corpore deducat, quod clariſsimis Hippocratis, & Galeni teſtimonijs confirmatur lib. 4. acut. vbi ſcriptum eſt, *venam brachij internam velociſſimè, & plurimum ex ijs quę principes ſunt partibus euacuare*; Quibus rationibus, & auctoritatibus adiungitur experientia, qua apertiſsimè conſtat ex venæ ſectione in cubito menſtruas purgationes per multum etiam tempus ſuppreſ-

ſas multoties quam citiſsimè euocari, vt alibi à me fuit adnotatum, quod quidem non contingeret, ſi venæ ſuperioris inciſio per ſe, & abſolutè ſurſum traheret, vt falsò ſupponebatur.

Quod ſi aliquando contrarium euenire contingat, ea forſan ratione fit, quoniam facta immoderata ſanguinis euacuatione exinanitis venis, natura ad indigentiam reducitur, adeò vt à partibus etiam inferioribus humores rapere, vt vacuum repleatur, & ſeruetur humorum proportio, & ęquilibrium ſit coacta, & ideo eo pacto procedendum eſſe, quando per ſectam in brachio venam ab vtero reuellere optamus iuxta Galeni pręceptum libro 2. adGlauc. cap. 2. cenſendum eſt. Alioquin tantum abeſt, quod ad partes ſuperiores humores retrahantur, quin potius ad inferiores depellantur, exonerata namque natura à premẽte ſarcina, acrius inſurgit, & conſuetam per inferiora promouet euacuationem, vnde iure meritò poteſt affirmari, venarum etiam ſuperiorum inciſionem, dũmodo moderata fiat ſanguinis extractio, & quę naturæ modum non excedat, non ſolùm ſanguinem ad partes ſuperiores non atrahere, ſed ad inferiores potius depellere, ac detrudere, modo explicato.

Sin autem ſanguis, & materia peccans in venas inter alas, & inguina locatas extendatur, nam vt obſeruat Platerus modò in trunco venę cauę ſurſum, deorſumque à cordis regione iuxta ſpinam delato, modò in ramis maioribus ab ea circa iugulum, & inguina propagatis putredo praua conſiſtens febrẽ producit,

ducit, vtrobique venam pertundere erit rationabile, in brachijs nimirum ratione venarum, quæ inter alas & circa iugulum excurrunt, prout mineram continent vel focum malignę putredinis; in talis, seu poplitibus in gratiam illarum, quę inter inguina sunt locatæ, in quibus alia consistit pars morbosi apparatus; ea tamen animaduersione, vt prius secentur venæ in brachio sitæ, vt prius materia praua, quę cordi proximior est è corpore educatur, & ocyus ventilatio fiat, ac refrigeratio, vnde promptius deferuescat incendium circa cor consistens, inhibeatur, & corrigatur putredo, vt alibi asserebamus.

Et eo magis, quod agitur de curatione morbi pręsentis, & facti, quo in casu venę sectio à partibus affecto loco proximioribus est peragenda; non enim in curatione morbi pręsentis, & facti locum habet reuulsio, & à longinquis partibus euacuatio, nisi quando simpthomaticas, & sensibiles euacuationes sistere in animo est, vt notat Martianus in libro de humor. num. 10. aut materię in aliquam partem principem sensibiliter irruentem fluxum auertere.

Vnde ellicitur, quod si in febrib⁹ malignis detur, vt nonnumquam accidit, ab vtero, vel ab alijs partibus inferioribus sanguinis, & humorum ad caput, vel aliam principem superioremque partem manifestus materię motus, atque confluxus, vt in cephalalgijs, paraphoricis, & cathaphoricis sympthomatibus apparet, quemadmodum obseruat Meniotius alibi citatus, ad illum auuertendum, & reuellendum, summa

ma ratione, & ex arte venæ in partibus inferioribus siuè in talis, siue in poplitibus sitæ erunt incidendę.

Tandem pręter relatas continentes febres quę vel in omnibus vasis, vel quam maximis sanguine, & humoribus putrescentibus oriuntur, alię aliquando eueniunt, vt plurimum malignę, quas vel comitatas, vel sympthomaticas hodie Medici appellant, à sanguine in parte determinata accenso, similiter, & putrefacto, vt latè ostendit Saxonia in tract. de feb. cap. 7. productæ, & generatę; Sanguis enim ob sui copiam, feruorem, tenuitatem, & impuritatem factus naturę grauis, nec potens consistere in venis, vel statim febre inuadente mouetur, vel postea vi naturę propellitur, & in aliquam partem effunditur, velut in pulmonē, pleuram, Iecur, aut vterum, vbi vel concępta putredine febrem generat continentem simul, atque malignam, quemadmodum in vtero manifestè euenire docet Galenus com. prim. in 6. epidem. tex. 2. vel partem calefaciendo inflammationem, cui postea associatur febris ardens, & praua, vt de Iecore habemus exemplum lib. 3. eiusdem operis in Hermocratis casu, aliosque immanes affectus, atque infensissimos; in quibus cum manifestè appareat sanguinis motus, licèt alterius sint considerationis, quommodo, ex methodo procedendum sit in curatione per sectionē venę saltem obiter inquirere fert animus;

Principijs itaque propositis inhęrens, eadem prorsus ratione rem peragendam esse asserere non dubito, habendo nimirum considerationem non solum materię

riæ fluentis, ac eius motus, ſed & locorum in quibus continetur, & ad quos fluit, ea inſuper adhibita cautione, vt non minus ad febrem, quam ad morbum, qui vel eam comitatur, vel ipſi ſuccedit, curatio dirigatur; quocirca in primis conſiderandum eſt, an ille motus naturæ ſit impediendus, an ſinendus; quamuis enim exiens à venis maioribus, in quibus continebatur ſanguis, & in partem irruens, deterrimam in eam inducat affectionem, in venis tamen eiſdem retentus naturæ magis fortè infenſus fuiſſet ac pernitioſus; vnde conſtat quod ita ſubito, aut quocumque modo motus, & fluxus eius aut reuellendus non ſit, aut cohibendus; quod ſi ob vrgentiam, & grauitatem ſymptomatum, quæ interdum accidunt, fluxionem illicò compeſcere neceſſe ſit, ita tamen agendum, vt dum vni prodeſſe ſtudemus, alteri nō noceamus, quod fieret profectò ſi reuelleretur materia ad venas, vnde fluit; vnde optimum conſilium tunc temporis erit materiam fluxuram, & fluentem auferre à corpore, atque auertere, non ad partem principem, aut nobilem, ſed ad ignobilem, quod fiet commodiſsimè ea vena ſecta, quæ materiá inde vbi exuperat, erit aptior educere, & euacuare, quocirca ſi in partibus ſuperioribus ſanguis ſupra modum abundet, venæ in partibus ſuperioribus ſitę erunt incidendę, ſi in inferioribus, in inferioribus locatę; ſic enim euacuatio materiæ ſimul habebitur, atque reuulſio; nec inde timendum erit maius diſcrimen, facta namque venę ſectione in quacunque parte, cò ſanguis confluit, & ita mate-

ria

ria ab interioribus partibus, ad quas ferebatur auertitur ad exteriores, quæ sunt ignobiliores, cuiusmodi auuersionem esse veram reuulsionis speciem, alibi cum Galeno satis ostensum fuit, quem in pleuritide eadem vena secta haberi euacuationem simul, ac reuulsionem, loco alibi adducto asseruisse, non alia ratione videtur arbitrandum; ita censeo procedendum, qui teneo facta euacuatione materię fluxurę, compesci absque dubio, & tolli eius confluxum, vnde postea opus non est aliam instituere reuulsionem, facta in parte distantissima venarum sectione. Nouum fortasse videbitur hoc assertum, & à communi medicorum sententia alienum, casu tamen proposito rem ita se habere clarum fiet; Supponamus in Socrate sanguinis plenitudinem in venis superioribus (constat enim ex dictis dari non minus plenitudinem in vniuerso corpore, quam in partibus determinatis) qui data ocasione concitatus commoueatur, & ad pleuram à venis exiens confluat, & defferatur, si vena in parte distantissima, puta in pede, secetur, cum per eam plenitudo à partibus superioribus non ita promptè tollatur, fluxio non cohibebitur, esto quod sanguini in corpore existenti motus ad aliam partem quoquo pacto concilietur; verùm si secetur vena parti, in qua sanguis abundat proxima, & cum ea communicans, puta basilica, per quam promptissimè à partibus superioribus tollitur plenitudo, sublata sanguinis abundantia, & materia per consequens fluxura euacuata, cessabit eiusdem motus, atque confluxus, & insuper cum huiusmodi se-

ctione

ctione venæ ſanguis, qui in corpore remanet ad partem exteriorem, & à pleura diſtantem retrahatur, eius etiá reuulſio non incongruè inſtituetur; Similiter concedamus in partibus inferioribus ſanguinis redundantiam, puta in vtero, indeque ob aliquẽ errorem eiuſdem ad pleuram fluxum, ſi ab vtero ad pleuram fluentis multitudinis fiat euacuatio, fluxionem deſituram eſſe inficiari non poteſt; Sicque facta ſanguinis extractione ab illis venis, licèt minus diſtent ab affecta pleura, quam venæ tali, in quibus veluti diſtantiſsimis partibus facienda eſſet alioquin inciſio reuulſionis ergo, ceſsabit materiæ motus, & morbi per conſequens productio inhibebitur, quod ſecta vena in diſtantiſsima parte non poteſt euenire, cum per eius inciſionem non euacuetur materia fluens, vel fluxura, & mox clauſa vena, vel paulò poſt ceſſet reuulſio, vt fuit alibi explicatum; Hæc methodus ſeruanda in morbis à fluxione obortis, quando materia fluens à parte aliqua determinata procedit, & habet originem; Eſto quod aliter fieri poſsit, aut debeat, quando fluxio eſt à toto, exuberante nimirum materia in toto corpore, vt in vniuerſali plenitudine euenire perſpicuum eſt: tunc enim, cum quælibet vena vniuerſalem ſit apta demere plenitudinem, addita præterea reuellendi indicatione, vena in parte diſtantiori eſt incidenda, iuxta reuulſionis leges ſuperius explicatas, & illud eſt quod aſſerebat Augenius in alatis epiſtolis, errans in eo manifeſtiſsimè, quod ſupponebat ſemper, & in quocunque febricitante vniuerſalem adeſ-

ſe

ſe plenitudinem, per venam quamcumque ſectá commodè exhauriendam, quod tamen falſum eſſe fuit abundè oſtenſum, vbi obſeruatum laborare maligna febre corpora cuiuſcunque habitus, tam cum vniuerſali plenitudine, quam ſine, atque vt plurimum cum ſola particulari, in quibus quamlibet venam nec licet, neque expedit incidere, ſed eam quæ inſenſam eſt apta imminuere particularem plenitudinem in quacunque parte conſiſtat, vnde modò in vna parte, modò in alia peragenda phlebotomia, vt ſatis ſuperque fuit demonſtratum;

Quò plane modò facienda ſanguinis miſsio, vbi ex ſanguine eodem in aliqua parte collecto, accenſo, & putrefacto febris accendatur, abſque eo quod in aliam partem fluat, ſiue fuerit antea traſmiſſus, ſiue quocunque modo ibidem coaceruatus, quemadmodum ex dictis colligitur, atque deducitur, & fuit in ſuperioribus clariſsimè declaratum.

Hęc, ſi ęquo expendantur animo, noſtram ſententiam à Viris ſapientiſsimis non improbatam fore ſperamus, atque confidimus;

Hac igitur arte, hac ratione in venæ ſectione in ſynochis, ſeu continentibus malignis febribus vtendum ducimus, ex quarum curatione ſicuti venarum inferiorum ſectionem penitus non excludimus, ita eam ſemper faciendam eſse, vt Augenius, & alij opinantur abſolutè negamus.

Quommodo autem in reliquis agendum ſit habita eorum, quæ dicta ſunt conſideratione facillimè innoteſcet,

tescet, in febribus siquidem continuis proportionatis cum materia in venis maioribus consistat simul cum sanguine, vel in liene, aut iecore, ac inde ad medias venas in febrium accessione trudatur, aut delabatur, à venis maioribus, à Iecore, aut liene esse educendam manifestum existit, ideòque ibi celebranda phlebotomia, vnde plurimum, & celeriter sanguinem ab illis partibus licet exhaurire, & citissimè magno hoc auxilio ægrotanti succurrere; *propterea quod*, dicebat Caprillius de feb. lib. 2. *licèt adsint materię quę plurimum recedunt à natura sanguinis, sunt tamen mistę cum sanguine, & venæ sectio est auxilium æqualiter omnes humores euacuans, vnde hæ etiam materię ab ipsa euacuantur*; illud autem obtineri posse melius, ac promptius sectis in brachio venis, ad satietatem iam fuit demonstratum, quare ad eas esse confugiendum certo certius existit; quod si à partibus inferioribus, puta ab vtero, materiam ad locum, seu focum putredinis effluere constaret, in partibus etiam inferioribus venam incidendam fore minimè dubitandum. Ita námque materia fluxura exactè tollitur, à centro ad circumferentiam trahitur, quo pacto noui paroxismi prohibita inuasione, & morbi totius causa deturbata, pristina valetudine Ægrotans redonatur; quod alioquin euenire impossibile esse Medici norunt, non potest enim auferri morbus non sublata causa.

Simili prorsus methodo in febribus malignis intermittentibus est vtendum; has dupplici præcipuè ratione oriri fuit demonstratum, vel putrescentibus cir-

ca prçcordia humoribus, vbi fuerunt geniti, & cumulati, vel in venis cõmunibus, vel minoribus, vel in ambitu corporis, quò vel expulsi defluunt, vel attracti; si igitur in primis vijs consistant, ventriculo, mesenterio, & vicinis locis, ibique putrescendo febrim pariant, venæ sectione, vt sic, non sunt mouendi, humores namque à sanguine separati, & extrà venas tale præsidium per se nequaquam postulant, si tamen vel in vniuerso ægrotantis corpore, vel in aliqua parte sanguis ita abundet, vt fiat naturæ grauis, & ad locum, seu focum putredinis confluens febrim foueat, & augeat, tunc profectò illum euacuandi insurgit indicatio, vt imminuta eius abundantia fluxio sistatur, ac febris incrementum prohibeatur, idcircò ea vena tundenda, quę vel ab vniuęrso corpore, vel à parte illa determinata est aptior euacuare, vnde si in partibus supra iecur sanguis exuperet, vena in partibus superioribus erit incidenda, si infrà, in inferioribus.

Et simili prorsus modo agendum in alijs febribus, licèt superfluitates, quę illarum causæ sunt, à loco vbi fuerunt productæ ad venas cõmunes, vel capillares, vel ad ambitum corporis pellantur, cum ob expositas solummodo rationes sanguinis misio in illis locum habeat, ipsasque superfluitates venæ sectione mouendi, aut reuellendi nulla, vt fuit alibi expositum; se offerat indicatio; idcirco vel toto corpore pleno existente, vel parte, plenitudo minuenda, et ita vena, quæ aptior est vniuersalem, & particularem auferre plenitudinem, vbicunque ea sit, est incidenda.

Si verò per vires, vel ob aliam quampiam causam venam secare non liceat, ad alia præsidia, quę sanguinem euacuare sint apta, & indicationi oblatæ satisfaciendi vim habeant, est confugiendum; Cuiusmodi omnium consensu hirudines sunt, pręsertim hęmmorrhoidibus apposite, & cucurbitulæ scarificatę; De quibus, vberioris doctrinæ gratia illud obseruandum moneo, quod si adhibeantur sanguinem in vniuerso corpore exuberantem minuendi gratia, & tamquam venę sectioni substitutę, partibus inferioribus erunt apponendę, natibus scilicet, femoribus, & cruribus; natibus namque affixę à toto corpore trahunt Auicennæ testimonio lib. 1. fer. 4. doctr. 5. cap. 21. femoribus autem, & cruribus, eadem possunt afferre commoda, quę à scarificationibus habentur Oribasij testimonio 7. colect. cap. 20. non autem partibus superioribus, tum quia morbo cordis, cuiusmodi est omnis febris, & corpore nondum in vniuersum euacuato, quam longissimè à partibus nobilioribus administranda est euacuatio, attractioni coniuncta, vt notat Mercurialis lib. 3. consil. cons. 5. qui ob eam causam in huius pręsidij administratione se mutasse sententiam ingenuè confitetur, tum ob alias rationes quas affert doctissimè Hieronymus Fabricius ab Aquapendente in tract. de abusu cucurbitularum in febribus putridis, medicis notas.

Quod si in gratiam reuulsionis, aut deriuationis in vsum ducendę sint, vel particularis euacuationis, modò parti eidem euacuandæ, habita prius vniuersali, si ea

ſi ea opus ſit, euacuatione, modò proximę, modò diſtantiſsimę, & contrarię, iuxta medendi methodum erunt adhibendę;

De Hirudinibus autem, quod, cum ita ſe habeant venę hęmmorrohidales iuxta recentiorum obſeruationes, vt non minus cum vena caua, quam porta communionem habeant, vnde ab vna non minus quam ab altera ſanguinem poſſunt commodè educere, ſi illis hirudines apponantur plenitudini vniuerſali minuendæ aptiſsimę cenſentur; Hinc earum operationi tantum tribuunt in febrium malignarũ curatione Petrus Salius diuerſus, & Hieron. Fabr. ab Aquapendente Viri doctiſsimi ſimul, & famatiſsimi, vt ille in curatione febris peſtilentis hoc ſolum pręſidium pro ſanguinis detractione admittendum cenſeat, hic verò magis conferre abſolutè, quam venę in brachio ſectionem aſſerere non dubitet, & reddit rationem inquiens, *in malignis febribus in vaſis maioribus, vt conſtat apud omnes, eſt putredo, & venæ hęmmorrhoidales magis ſunt vicinæ venę cauę vbi maxima eſt in lumbis, & ad os ſacrum, quam in brachio, vbi longius abſunt à maioribus ramis, vt puta axillaribus, & venæ cauæ trunco, ergo magis loco putredinis ſubuenient*, tantæ molis eſt apud præſtantiſsimum Virum à loco affecto, & à ſede putredinis moliri euacuationem;

Quod ſi reuellendi, deriuandi, aut à parte aliqua particulari euacuandi adſit indicatio, vel parti eidem, vel alijs illas affigere iuxta Artis pręcepta erit opportunum, omnibus namque corporis partibus poſſunt

com-

commodè apponi, vt latius à nobis alibi fuit demonstratum. Facta modò præscripto venarum incisione, sanguinis, & humorum in venis existentium copia imminuitur, febris vel causa, vel concausa aufertur, & è corpore educitur; vnde & in febrium accesionibus minor sanguinis fiet ad locum, seu focum putredinis confluxus; eòque magis quod per venæ sectionem præscripta methodo factam contrarius sanguini motus inditur, et conciliatur, ab interioribus nimirum, ad exteriora, vt latè demonstrauimus; exoneratur ita, & subleuatur natura à premente sarcina, vnde ocyus insurgat, et quod coquendum, et expellendum est promptius expellat, et concoquat; inhibetur facta ventillatione putredo, & remittitur febrile incendium, facta namque calidi succi euacuatione corpus refrigeratur, teste Galeno lib. de venę sectione aduers. Erasitr. cap. 5. & extinguitur tandem empyreuma, et calor, qui post paroxismum in imo, atque in interiorib⁹ concipitur, et cuius impresio noui paroxismi occasio est, vt notat Ballonius prim. epid. cap. prim. statuens hac ratione phlebotomiam, & si in febribus semper necessaria non sit, tamen semper prodesse, & maxima cum ægrotantium vtilitate administrari; nec siluit Galenus libro 2. de diff. feb. cap. vltimo, vt acrius intuenti patet manifestisimè.

Quod si optata illicò sanitas ægro non affulgeat (quod audio denique nobis, perperam quamuis opponi) non tamen in validisimum alioquin præsidium ex methodo, & arte administratum est reiciendum;


dum; Omitto quod, *Non est in medico semper releuetur, vt eger, &c.* Illud enim norunt Medicæ artis cultores, quod maxima quamuis etiam ex parte morbotus imminutus fuerit apparatus, & minera praua, non tamen ſemper penitus eſt exhauſta: remanent improba morborum ſemina, prauæ radices, viſcerum intemperies, veneni portio, peſsimi morbi fomes, ac veluti fermentum, hinc et nocua rurſus producitur materia, producta inficitur, noua febris oritur; quibus profectò omnibus occurrere ſolius venæ ſectionis, aut ſanguinis quocunque modò fiat euacuationis, opus non eſt, ſed alia ſunt neceſſaria remedia, alterantia, deobſtruētia, corroborãtia, et Alexipharmaca; vnde perperam damnatur generoſum adeò prȩſidium, atque iniuria afficitur; At ſanitatem nec illicò reſtituunt, morborũ cauſas penitus non auferunt purgantia, aut alia medicamenta, ergo & ipſa reicienda? omnibus erit deſtituta prȩſidijs ars medica, ſi remedia, quibus optatum illicò non aſſequimur finem, ſint reffellenda, ſint deſerenda. Agnouit has omnes difficultates mirabili ſuo ingenio diuinus Hippocrates vnde lib. 2. aph. tex. 52. auream hanc ſententiam ad Medicorum ſolatium ſcriptam reliquit *omnia ſecundum rationem facienti, ſi non ſuccedat ſecundum rationem, non eſt tranſeundum ad aliud ſtante eo, quod à principio viſum eſt. Quemadmodum enim*, inquit eius interpres in commentario, *in gutta ſubiectam petram percutiente vix longo tempore ſenſibilis paſſio in lapide manifeſtatur, ſic accidit etiam in crudis, & quȩ difficulter concoqui poſſunt diſpoſitionibus, in*

quibus


quibus cum recta ratio inuenerit id, quod conducit, non discedit ab illo, quod primùm faciendum existimauit, etiam si nihil ex facto manifestum sit subsecutum.

Quam igitur venam in febribus malignis incidere magis expediat sat arbitror explicasse, & quando, & qua ratione venarum inferiorum incisio in illis admittenda sit, abundè demonstrasse, & per consequens Augenij, & aliorum sententiam, qui illud semper prestandum asserunt ex arte expugnasse; meam ideò, vel omnium magis sapientum Medicorũ sententiam tamdiu firmam, ac stabilem reputabo, vt verbis Augenij vtar, donec Vir quispiam insignis pro sua eruditione, & scientia meliorem docuerit; quod si contigerit, ęquo animo cedere, eamque libentissimè amplexari non erubescam.

Meum interim qualemcunque pro veritate inuestiganda, atque è difficultatum puteo eruenda conatum lęta aspice fronte, MARCE ANTONI doctissime, Teque, vt ex corde precor, bonorum omnium largitor diù sospitet Deus Opt. Max. vt Serenissimorum Principum sanitatem, & vitam tuę sapientię, & fidei creditam ad Subditorum non solùm, sed vniuersi Orbis solatium, nestoreos producere in annos fœlicissimè valeas.



CON-



CONSIDERATIO CVRATIONIS GALLICI TVMORIS IN FRONTE D. N.N.

An Scilicet

Eiusdem rectè, & ex Arte facta fuerit Incisio.

PROGYMNAS. QVARTVM.

Ad Per Illust. & Excellentiss.

D. HIERONYMVM RINALDVM

Medicum Ferrariensem.

Eximium.



Nfęlix nuncium immanis ęgritudinis perIllustr. atque Excellentiss. D. N. N. mihi antiqua necessitudine coniuncti tuis alioquin pergratis litteris delatum, doctissime HIERONYME, eo me dolore percussit, qui tanti viri meritis debetur, atque virtutibus. Dissidium verò inter Medicos ortum, tela in excellentiss. D. N N. ob incisionem tumoris gallici in fronte præstantissimi ęgrotantis factam coniecta, animum

mum meum veritatis auidum, accepti beneficij haud immemorem ad rem attentius considerandam excitarunt, & quid verè de ea operatione statuendum censeam explicandum; rationes itaque, & principum Medicorum auctoritates peractam incisionem tumoris ex arte factam fuisse, et methodo, testantes ad te mitto, vt illas excellentissimo D. N. N. cui, vt nosti, plurimum debemus, meo nomine exibeas, vt habeat Vir, alioquin strenuissimus, ex meo etiam Medico armamentario clypeum, quo calumniantium ictus valeat retundere, Tu verò ipse, quem ob morum suauitatem ab ineunte ętate summopere dilexi, nunc autem ob eximias virtutes, sũmamque præsertim in medendo peritiam suspicio, & veneror, perpetui amoris, & obseruantiæ meę aliquod saltem pignus, & argumentum.

Ex omnibus apostematibus, & tumoribus, cuiuscunque generis sint, vt rectè curentur, extrahendum humorem esse, & euacuandam materiam à quibus producuntur, est cõmunis sententia omnium Medicorum, dessumpta ab Auicena lib. 4. fen. 3. tract. 1. cap. 3. vbi scribit *& curatio apostematis in quantum apostema, est extractio materiei, quę facit apostema*; quod accepisse videtur à Galeno, quem in omnibus secutus est, lib. 14. meth. cap. 7. vbi inquit, *Indicatio autem omnium communis est, vt quod pręter naturam est vacuetur, in quocunque id contineatur*. Quare vniuersaliter loquendo hinc primùm elucescit, euacuationem materiæ, quę in tumore, quo ledebatur Æger pręstantissimus conti-

 neba-

nebatur, non absque ratione, sed ex arte, & methodo fuisse factam, quoniam tumores etiam gallici sub nomine apostematum cadunt, ita enim eos appellant Nicolaus Massa tract. de morbo gallico cap. 5. & 6. & alij viri doctissimi, & est res plana apud Tagautium lib. 1. cap. 1. *quod tumores omnes, qui præter naturam consistunt recentiores tum Medici, tum Chirurgi, atque etiã vulgus ipsum sub nomine apostematum comprehendunt*.

Non me latet nomine extractionis non intelligere Principem euacuationem ferro solummodo incidenti, aut medicamento rumpenti factam, cum immediatè subiungat, *& illud fit per ressoluentia, & mollificatiua &c. & quandoque excusat scarificatio, & est curatio sufficiens*; quod pariter confirmat Falloppius in libro de tumoribus cap. 19. dicens, *materiam sui requirere euacuationem insensibilem cum fieri potest, aut sensibilem*, imò imperare Gal. lib. 18. meth. cap. 5. etiam si pus aliquod notabile in suppurante particula contentum sit, non expedire protinùs, quod nonnulli faciunt, incidere, immo exhallationem moliri, ad id valentibus; quo monitus pręcepto Hyeronimus Fabricius ab Aquapendentę de Chir. operationibus asserit, se curasse multoties abscessus etiam maximos absque aperitione, sed per dissolutionem, & exsiccationem insensibilem pus euacuando.

Verùm euidens est, & clarissimum Galenum loco eodem paulò post subiungere, *sin aliquando puris copia medicamenta superet, nec ea videatur tibi totum posse digerere, secare exitum ei quod digestioni non cessit*, sicuti, &

Aui-

Auicenam asserere *quod si perducatur ad corruptionem membrum, & humor in apostemate contentus, nec possit hoc medicamento euitari, ac impediri, tunc scarificandum locum, & faciendam scarificationem profundam, & non expectandam collectionem, neque maturationem;* Cui assétitur apertè Hier. Fabr. ab Aquapendente, vbi paulò inferius scribit, quod si differatur aperitio abscessus, interdum in nimis longum tempus protrahitur curatio, & abscessus interim serpit, ac nimium dilatatur propter puris moram intus erodentis; Qui pulcherrimum deinde dat pręceptum subdens, *non semper expectandam esse spontaneam aperitionem, vt Celsus suadet, quinimmo interdum necesse est aperire crudos abscessus, hoc est antequam in pus versi sint,* quod, & præcipit Paulus lib. 6. cap. 34. ex Hippocratis, & Galeni sententia, vbi pus videlicet, aut puris vapores aliquam propiorem partem offendere possunt maioris momenti.

Hinc est, quod ex alatis sapientum virorum sententijs duas eliciam rationes, quibus necessariò conuincitur debere aperiri apostemata, ac tumores; Prior est quando non posit tota materia contenta in apostemate ressolui, siue ob nimiam quantitatem id accidat, siue ob prauam qualitatem; Posterior quãdo imminet vel facta iam est corruptio partis ipsi tumori, vel apostemati subiectæ, nobilis, vel magni momenti; quas etiam breuibus expresit versatis. Falloppius de tumor. cap. 13. scribens, *quod si sanies multa sit, & mala, & erodens, ex qua timeatur aliquod malum tunc debemus illam euacuare,* & loquitur de euacuatione fa-

cta per incisionem tumoris, vt ex sequentibus verbis est manifestum.

Quod igitur hę locum habeant in proposito casu, nulla potest haberi difficultas, cum Tumores Gallici, (qui etiam sub nomine abscessuum possunt comprehendi, cum, vt testatur Sennertus, non solùm pus in illis reperiatur, sed & interdum pulti, melli, & sebo similes materiæ, & quæ nunc olei amurcam, mucoremque multoties valde fetentem representant) nimium natura rebelles sint, ac pertinaces, & producantur à materia, si non adeò copiosa, praua tamen maligna, ac venenata, quæ medicamentis haud cędens pręstantioribus, & validioribus, deturpat, & torquet miseros ægrotantes, & corrumpendo subiectas partes, & ossa ipsa, irreparabile vniuerso corpori excidium minitatur.

His rationibus plerique Medicorum adhibitis frustra digerentibus, ac ressoluentibus medicamentis (quemadmodum factum suppono in pręsenti casu) gummata, & tumores Gallicos quoscunque incidunt, aut alijs ex arte remedijs disrumpunt, vt inde materiam extrahant putridam, ac malignam. Ita Zecchius de morbo Gallico cap. 18. *tumoribus adhuc sęuientibus*, inquit, *incisio administretur, vel caustico medicamento, vel ferro crudo.* Ita Fallopius cap. 95. diuersis tumorum Gallicorum speciebus prius expositis, concludit, *si igitur videamus esse meleum, vel anteromaticum, vel diuturnum, eadem est curatio, quia debemus aperire subitò, ne materia erodat os, & corrumpat*; Ita Nicolaus Massa

tr. 3.

tr. 3. cap. 5. resſoluentibus adhibitis, ſi durities, aut apoſtema gūmoſum non resſoluatur, ſed potius ad maturitatem declinet, *maturatiuis*, ait, *adiuuare oportet, cum Medicus ſit naturæ adiutor*, inde ſubdit, *aperiatur apoſtema cum ſagitella, vel alio inſtrumento incidente, & hoc ſecundum inceſſum Villorum præterquam in fronte, & aliјs locis &c. quæ contrario modo aperiuntur*; & ecce quōmodo in fronte, abſque vlla hęſitatione ferro hic auctor vtitur. Addit deinde modum vtelli cauterijs actuali, & potentiali in jis, qui ferrum abhorent, quem breuitatis gratia pro nunc omitto. His aſſentitur Senertus de morbo Gallico cap. 23. vbi paucis verbis decernit, ſi iſta non ſatisfaciant, ideſt emmolientia, & digerentia tumores cauſticis aperiendos, pręſertim ſi non ſint in articulis, aut neruis, aut tendinibus, & locum apertum ſeruandū, & os ſubiectum, quod plerūque lęſum eſt, deradendum.

Et ſanè quando cętera argumenta infirma, & nullius roboris eſſent ad ſuadendum in gummatibus aliјſque Gallicis tumoribus deueniendum eſſe multoties ad ferrum, & ad ignem, ſola oſsis corruptio, aut imminens, aut pręſens (quæ eſt ſecunda ratio pręcipua) id abſque vlla dubitatione conuincere videtur, & ſi iam adſit, non poſſe alio modo ęgrum curari, & ſanitati reſtitui, eſt euidentiſsimum;

Nam ſi docet Arabum Princeps lib. 4. tr. 3. cap. 11. *curationem corruptionis eſſe fricationem, & ipſius deſtructionm, aut abſciſionem, nam neceſſe eſt*, inquit, *ipſum fricare, & radere, & cauterizare, &c.* & vno verbo abſcindere

dere bonum à malo, et quod corruptum est, & vita priuatum ab eo quod ſanum eſt, & vita præditum, ne corruptio latius ſe extendat, & ſerpat, quod enim tangitur à putrido putridum fit, idq; confirmat Gal. 6. aph. t. 45. vbi ſcribit, *vlcera omnia exſiccare eportet præcipue verò in quibus os patitur, terminus autem ſiccationis eſt, vt abſcedat pars eius, quæ eſt vitiata*; & eſt doctrina communis omnium Medicorum, vt patet apud Tagautium, Fallopium, & alios Doctos viros.

Quōmodo vnquam poterit quis abradere, & abſcindere os corruptum, vel ſuper ipſum apponere medicamenta exſiccantia, vt ſeparetur à ſano, abſque eo quod idem detegat, ac denudet? quod idem eſt, acdicere, abſque inciſione, aut aperitione tumoris, ſiue ferro facta, ſiue igne, vel actuali, vel potentiali? Hinc omnes Chirurgi ſtatuunt, vt detegatur corruptio, ea ipſa vtendum, quod cum ſatis ſuperque ſit notum, in adducendo eorum auctoritates pro nunc non laboro, & pro cunctis ſat erit Cornelij Cęlſi ſententia dicentis, *oportet autem ante omnia os denudare vlcere exciſo, & ſi latius etiam vitium eſt, quam vlcus fuit, carnem ſubſecare, donec integrum os vndique pateat.*

Quod autem ſub tumore in fronte D. N.N. de quo loquimur, immineret corruptio, & partis præſtantiſſimę, certiſsimum exiſtit apud Medicos cum conſuetus, & proprius effectus morbi Gallici ſit, oſsis corruptio, vt viri pręclariſsimi teſtantur, ita Zecchius, *inter ſęuiſſima ſympthomata morbi Gallici*, dicens, *oſſium tum capitis, tum aliarum partium corruptiones ab acri, &*

ero-

erodente humore prouenientes primum locum obtinent, ſic Fonſeca 6. aphoriſ. ſcribens, *quæ corruptionem habere ſolent, ſunt vlcera gallica, & gũmi dicti;* Quod manifeſtat, & ratio, cum enim in Gallicis tumoribus materia contineatur praua, venenata, & erodens, ſubiectas partes corrumpere aptè natam eſſe non eſt ambigendum.

Quod verò de facto fuerit autopſia iam patet, oſſe nudato, & detecto, ſed eius manifeſta etiam aderant inditia antequã detegeretur, tumor enim mollis euaſerat, ſignum ſubiecti oſsis corruptionis, vt docet Auicẽna ſcribens, *cum oſſi accidit corruptio videtur caro ſuper ipſum molis fieri;* & præceſſerat dolor vt ipſe patiens pluries obſeruauerat.

Quibus ſic ſtantibus, oſſe videlicet ſub tumore corrupto, & putrefacto, non erat curatio naturę comittenda; vt fuit nonnullorũ opinio nam poteſt quidem natura os ſanum ab eo quod eſt corruptum ſeparare, ſi corruptio ſuperficialis ſit, atque leuis, quandoquiquidem, vt exponit Braſſaulus 6. aphoriſ. tex. 45. *paulatim inter illam partem, quę abſcedit, & os ipſum carnem inducit, quę paulatim creſcens os, vel eius ſquamam ad circumferentiam tranſmittit*, ſed quando totum os ſit vitiatum, id non poteſt efficere, ita ſtatuunt Maſſa, & Hieron. Fabr. ab Aquapendente dicentes *ſi corruptio inſignis, & profundior ſit, Chirurgia eſt opus*, & Braſſauolus ipſe videtur idem à Philoteo ellicere dicente, *debere intelligi non totum os abſcedere, ſed eius ſquamam.*

Quando igitur, vel totum os, vel maxima eius pars

putre-

putreſcit, vt in noſtro caſu, debet ſine dubio aperiri tumor, vt extrahatur, & eradatur, & medicamentis ſanetur, ratio, mea ſentẽtia, validiſsima, & inexpugabilis & quæ inciſionem prudentiſsimè, & ex arte, & methodo factam fuiſſe oſtendit, ac probat, qua moti Doctores omnes illud agendum ſtatuunt, & precipuè Braſſauolus in fine tractatus vbi expoſito prius, & demonſtrato in hoc ſęuo morbo corrumpi capitis oſſa, & aliarum partium, præſertim ſub tumoribus, concludit, *tunc igitur conſiderandum eſt an ſit detectum carne, vel ſub carne, & cute, ſi detectum ſit, apparet ad oculos putredo &c. & ibi apponi debent medicamenta*, quæ ipſe ex arte, & exactè pręſcribit, *Verùm ſi oſſa ſint carne tecta, & cute, tunc*, inquit, *negoziari difficilius eſt, cùm autem vides dolores nunc abire, nunc redire, & iam inueteratos eſſe, tunc ſuſpicandum eſt de oſſis corruptione in capite potiſſimum; & ſi ſuſpicetur Medicus os eſſe corruptum*, non conſulit iam ipſe vt naturę curatio committatur, ſed expreſsè imperat contrarium, dicens, *etiam ſi id certè neſciat, tumori illi causticum capitelli vocatum apponere debet, & tumorem durum aperire, quouſque ad os perueniatur, & oculis an putridum ſit, an non putridum conſpicatur &c.* indè ſubdit, *immò hoc notato, perduros tumores quandò non poſſunt diſſolui eſſe causticis aperiendos, nam deinceps corriguntur facilius;* adeò parum fidit ille naturę in hoc peſsimo morbo, quando iam peruenit ad oſſa.

Eius ſententiæ prorſus ſimilis eſt Botalli opinio, qui cap. 15. de lue Gall. cur. ſcribit, *ſi iuxta vel ſupra*

pra os tubercula apparere incæptent nihil ęquè ijs auxilio est, atque protinus eam partem vesicare &c. & paulò infrà, *demum si tuber peruicacior sit, qui huic remedio non cędat, pręcipuè vbi is iam dudum insederit altius paulò vrere fas est candenti ferro strenuis, caustico vero meticulosis,* postea addit, *errant quippe grauiter, qui ceratis linimentis, vel alijs dissoluentibus præsidijs ijs occurrere nituntur, quamquam quandoq; hæc iuuent, verum etiam plerumque patientem, & Medicum illudunt præ humoris crassitie, & pertinacia, quæ his Medicamentis vinci nequeunt, vnde dum hac inutili spe ducimur, propagatur putor osibusqu; inseritur, quę tandem corrodere fas est &c. quod si naturę comittas, multo sępe annales circuitus in iugi hac miseria infęlices patientes transcurunt, vel denique huius iniuria obeunt,* tam pernitiosum videtur huic docto viro rem ressoluentibus transigere, & opus committere naturę; Quod si corruptionē iam esse factam manifestum sit, ac certum, eandem, & ipse, ac alij instituit curationem, nouacula, vel cultellari ferro os detegens, lineis duabus ad crucis formam (si locus concedat) ductis, quo cariem totam patentem reddat, talem sectionem, docens, ferre caput, & anteriorem tibiæ partem; vnde apparet ipsum non pertimescere ferrum capiti admouere; Tomitanus denique, libro 2. de morbo Gallico vbi de gummatibus agit, *profectò*, inquit, *sunt qui vtuntur audacter Aqua ardenti, & ad incisionem festinant si opus fuerit, itaque;* subiungens, *quoad fieri potest fugienda semper incisio, tamen si postea subsit ossis corruptio*, aperte in sequenti capite scribit,

 bit,

bit, *Aperiendus est locus siue ferro, siue inurenti medicamine, vt quod ossis corruptum est detegatur, atque foras educatur.*

Optima igitur ratione facta fuit incisio tumoris gallici in fronte D. N. N. sub quo os erat cariosum, atque corruptum, vt inspicientibus patet, nullaque alia erat curationis methodus, aut spes sanationis, cum necessaria sit eius quod corruptum est separatio, & ablatio, quæ sine cutis incisione, & tumoris aperitione fieri haud potest; ita fœlicissimè curauit olim dolorem capitis intensissimum nullis alijs remedijs expugnatum ab ossis corruptione productum Amatus Lusitanus in nostra Ciuitate Ferrarię, vt habetur in eius cēt. prim. curat. 4.

Esset modo aliquid dicendum de modo incisionis, & gummatis, seu tumoris aperitionis, cum in hoc etiam varię, ac diuersę sint Medicorum sententię, alij enim ferro crudo vtuntur, alij ferro ignito, alij causticis medicamentis; sed quoniam iam facta est tumoris pręstantissimi D. N. N. incisio, & aperitio, de his in pręsenti agere opus non est; ne tamē intactam penitùs hanc etiam partem relinquam, cætera pręteriens dicam breuiter de causticis cum Hieron. Fabricio ab Aquapendente de Chir. op. vbi de carnis Chirug. *rationē illam pessimam esse, quia causticum maiorem excitat inflāmationem, prauam imprimit in parte affecta qualitatem, & interdum gangrenam, & foramen maius efficit quam par sit, & maior, turpisq; consequitur cicatrix &c.* De ferro autem ignito cum Fallopio, *illum esse modum hodiè*


hodie ſolùm in Brutis vſitatum, in hominibus verò non eſſe frequentem propter ſubiecti nobilitatem, & quoniam homo multò afficitur ex tali aſpectu, quamuis materia frigida exiſtente, tumoreque in partibus venoſis, & arterioſis ſito, non ſit improbãdus omnino, ac reiciendus; quocirca cũ his doctis viris concludam, laudabiliùs eſſe vti ſolo ferrò, vt docet etiam Galenus, nec abnuit Cornelius Celſus, vt factum in noſtro caſu, ferro enim meliùs aperitur via ad os detegendum, & conceditur in loco aptiori aditus materiæ euacuãdę, minuſque turpis tandem ſequitur Cicatrix.

Hæc qualiacunque ſint pro veritate exarata æqui bonique conſule, Hieronyme doctiſsime, nec ęgrè ferant alij, quibus contraria opinio magis arriſit, Homines enim ſumus, vnde poteſt vnuſquiſque errare. Eccellentiſs. interim D. N. N. meo nomine ſalutem plurimam dicas, & me tui amantiſsimum vt ſoles ama. Eſt enim magnes amoris amor. Vale.









DE ROMANA MVLIERE BIENNIO GERENTE VTERO

Ad Præstantißimum Virum

D. HIERONYMVM BARTOLVZZIVM

CONSVLTATIO.





Vlier Romana annorum 28. habitus melancolici, & quadrati, bonę constitutionis, ter iam nupta nunquã concepit, pręterquãquod ab hinc annis duobus cõcepisse credita; Mense vii. dolores partus passa nihil eddidit, iterum mense viij. & ix. demum per dies x. inanes parturientis conatus paßa est.

A primis mensibus tamquam grauidæ corpus intumescebat sensim ac intus motus, tamquã fętus intrò existentis sentiebat; Post ix. *mensẽ per sex subsequẽtes menses parum venter illi intumescere videbatur, vis tamen intus existentis in motu augebatur, postea verò magis, atque magis, & tumor, & vis moti intus corporis fiebat vehementior, & modo in mense* xxiiij. *ab initio summa vis, & impetus percipitur intus existentis,* præ*sertim cum venter pręmitur, etiam si leuiter prematur, & multò magis si manu frigida tangatur;*

Cibum appetit more solito, quandoque tamen, & vehementius appetit, & comedit copiosius per viij. *aut* x. *dies, ac per totidem subinde nauseat, & modo aliquando vomit parum pituitæ insipidæ; Excernit more solito, menstruas purgationes habet sed imminutas, sitis illi molesta non est, tamen quando abundantius comedit graue illi alimentum est. vterus colem more solito admittit sine molestia, virum tamen non potest ferre superincubantem; lac apparet, aut quid lacti simile ad pappillam, nihil tamen effunditur. Pulsus paulò frequentior solito, respiratio eadem est. Ad motum agilis more solito, nisi quantum prę tumore grauatur.*



& quod intus existit hac, illac mouetur vehementer, & multo corpore, ita vt interdum ab vtroque latere vis sentiatur, interdum in medio tumorem durum efficiat, ac renitentem.

Color faciei idem, qui in sanitate est, & excrementa pariter parum à naturali constitutione, & cursu dimota; Os vteri non hyat, neque coeunti resistit, aliàs tamen clausum est, & aliquando tumentius, ac durius est;

Quęritur an hęc Fęmmina fuerit ab initio grauida? & an sit modo? & quid intus sit quod mouetur? & vbi sedem habeat? & vnde impetum? si animal est, cuiusnam sit generis? & quommodo nutriatur? quis possit illi contingere exitus aut natura, aut ex arte.

PRESTANTISSIMO VIRO

D. HIERONYMO BERTOLVZZIO

Sal. & Fel.



Erarduum, ac difficillimum casum proponis, Prestantissime HIERONYME, quem summa quidem ratione sublimiora suspiciunt ingenia, miratur Vrbium Princeps Roma; in cuius contemplatione præclarissimi meritò laborant Philosophi, dessudant Artis medicæ Proceres sapientissimi; meam sententiam in re prorsus arcana, & incerta efflagitas, sed quid Anser inter Olores? ad quid ferre Noctuas Athenas? ne tamen mihi deesse videar, non auræ popularis captandi gratia, sed vt tibi, quem ob eximias animi dotes, & præclara merita vnicè diligo, plurimi facio, morem geram, calamum arripio, & quid de longa mulieris grauidatione, & fetu in eius vtero existente statuendum censeam breuibus aperio.

Incerta, & infida esse conceptionis signa, cautè, ac prudenter procedendū esse in pronunciando an fæmmina vtero gerat, adeò certum est apud Medicos, vt non defuerint viri famatissimi, è quorum numero nō

ex-

excludẽdi Paulus Zácchias Illuſt. Rom. Medicus lib. pr. quęſt. medicolegal. tr. 3. quęſt. 1. & Alphonſus à Carranza iuris conſultus eruditiſsimus Tract. de Partu nat. & legit. cap. prim. ſect. pri. num. 33. qui grauidationis nulla poſſe haberi ſigna certa, fixa, & infallibilia aſſerere non dubitarunt; Vnde nil mirum, dicebat doctiſsimus Zacutus lib. 3. de Medic. Principi Hiſt. hiſt. 14. Auenzoarem medicum licèt experientiſsimum in cognoſcenda conceptione vxoris ſuę deeraſſe, vt idem ipſe refert lib. 2. Theizir, quod ſibi, & alijs viris prudentiſsimis ſimiliter contigiſſe ingenuè fatentur Ioannes Matteus de Grado ſuper 9. Raſ. cap. de mola, & Michael Sauonarola tr. 6. cap. 21.

Et tamen ſi plures ſimul in fęmmina ad concipiendum apta concurrant concęptionis notæ, eam vtero gerere rationabiliter videtur affirmandum; Quocirca cum Romanę Mulieris, bonæ alioquin habitudinis, tertiò iam Viro coniunctæ (quem admiſiſſe ſuppono) *corpus intumeſcere ſenſim cęperit, motus tanquam intus exiſtentis fætus ipſa perſenſerit, lac, aut quid lacti ſimile in mammis habuerit, clauſum os vteri extiterit,* quod tanquam magnum concęptionis ſignum ponitur à Galeno lib. 5. aphor. com. tex. 51. eam à principio grauidam fuiſſe, ac etiam in præſenti vtero geſtare ſtatuendum iudico; nec obſtat quod *menſtruæ purgationes, quamuis imminutè fluxerint, & adhuc fluant, inanes pariendi conatus fuerit experta, menſes iam ſint xxiiij. elapſi, & nondum fętum ęddiderit,* Nam primum nec nouum eſt, quando mulieribus grauidis toto etiam geſtationis

nis tempore menſes effluere multoties fuerit obſeruatum, vt apud Schenchium lib. 4. obſeru. & alios videre eſt, & ſolùm fętum morbidum eſſe ſolet demonſtrare, vt docet Hippocr. lib. 5. aph. tex. 61. ſcribens, *ſi Mulieri vtero gerenti purgationes procedant, impoſſibile eſt fętum eſſe ſanum*. Ex reliquis autem quid aliud tantùm pręter naturam in vtero conſiſtere licet argumentari;

Non me latet fętum in vtero xxiij. menſes geſtatum apud Turronenſes, referre Paſcalem Gallum in bibliotheca Medica, Vxorem Ducis Baruc Vandali biennio pręgnantem fuiſſe, & parturijſſe infantem loquentem, & gradientem narrare Albertum Krantium in confut. legendæ cuiuſdam germanicę in calce Hiſt. Eccleſ. aliamque fęmminam biennio pariter ferentē vtero marem loquentem enixam, nec non Matronam nobiliſſimam triennio vterum geſtaſſe, & filium pepperiſſe ridiculum, & monſtruoſum Auentinum, & Schnitzerū teſtari Annal. Boior. lib. 5. & litteris ad Schench. datis anno 1596. Vnde in vtero præſentis mulieris fętum naturalem exiſtere non poſſet videri prorſus impoſsibile; Tamen rariſsima ea ſunt, præter naturæ ordinem, & vix fide digna, ne dicam fabuloſa, quemadmodum ea cenſuit Carranza ſupracitatus tract. eiuſdem cap. 17. num. 42. Quocirca cum propoſita mulier conſueto pariendi tempore inanes parturientis dolores, & conatus fuerit paſſa, ſtatutum partus tempus longè præterierit, quod (licèt homini indeterminatū ſit, iuxta Ariſtotelis lib. 4. de hiſt. anim. cap. 4. Hip-

pocratis lib. de ſeptim. & octim. partu, Plinij lib. 7. nat. hiſt. cap. 5. Paramati lib. de hom. procreat. cap. 9. aliorumque grauiſsimorum virorum animaduerſionẽ) vltra xiiij. menſem non ſolet extendi, vt Philoſophi, & Medici tenent, & plurimi etiam Iuris Periti, quos refert idem Carranza tract. eodem cap. 15. num. 3. affirmant, eam naturalem fætum in vtero geſtare, haud debet rationabiliter aſſeuerari.

Et ſanè ſi fętus naturalis, atque humanus in eius vtero exiſteret, vel augeretur aſsiduè, vel non amplius creſceret, quod vtrumque abſurdum eſt, & ſenſui, & rationi haud conſonum;

Si enim dicatur fętum perpetuò creſcere, vterum etiam iugiter extendi, & in immenſum ferè attolli, vt illum capiat neceſſarium erit, quod nec in præſenti factum refert hiſtoria, nec vnquam abſque cruciatibus, & doloribus ſæuiſsimis poſſet contingere, qui, vt euitentur, Matris incolumitati intenta pijſsima natura fętum ipſum edocuit, cum ad iuſtam, & ſibi proportionatam deuenerit magnitudinem manibus, & pedibus ſeſe agitare, et calcitrare, vt diſruptis membranis, & vinculis, quibus alligatur, & excitata expultrice facultate emittatur in lucem, quo pacto Hominis partum fieri docuit Hippocr. lib. de nat. pueri num. 39. Si verò fętum non amplius incrementum ſumere quis aſſerat, quo pariter modo id euenire poſsit præter naturæ ordinem, & inſtitutum non poterit explicare, fętum enim aſsiduè alimentum ſibi proportionatum capere, & cum natura augeri ita apte natum, & diſpoſi-

ſpoſitum ſit, vt eius actio dum in vtero concluditur nulla alia eſſe videatur, quam ſui ipſius augmẽtum, vt latè oſtendit Hieronymus Fabricius ab Aquapendente de fœtu formato par. 2. & Ariſtotelis, & Galeni auctoritate probat, non tamen creſcere, difficille eſt intellectu, & niſi vim patiente natura poteſt euenire.

Fętus ergo in vtero mulieris continetur, ſed non naturalis, idcirco quid illud ſit, iam altius diſquirendum.

Nonnullorum fuiſſe ſententiam audio, flatum eſſe craſſum, qui vterum, ac ventrem diſtendit, falſam grauidationem ſimulat, mulierem, & Medicos decipit, quod ſanè multoties fieri Paræus lib. 25. cap. 34. Iaſon de Pariente, & partu cap. 2. & alij Viri docti recenſent, Ita legimus apud Valeſcum de Taranta *Se dum tempore pueritię ſuæ artes liberales Vliſſiponę addiſceret, vidiſſe quod quædam Iudęa creddidit ſe prægnantem, cui fuerunt pręparata omnia, quæ erant neceſſaria, & dum Obſtetrices matricem tractarent, tantam ventoſitatem ſine vllo liquore exiuiſſe à matrice ipſius, quod fuit mirum;* Ita ſe, & alios Medicos eximios, & Matronas expertas in propria vxore fuiſſe deluſum fatetur Io: Mattęus de Grado; & à quodam ruſtico, vxorem ipſius cum toto biennio, vel circiter vterum tamquam prægnans geſtaret tandem miro quodam ſonitu, vel potius tonitru in ventre, & pudendis facto magnam flatuum copiam pepperiſſe, refert Taddeus Dunus lib. miſcelan. cap. 8. quod & Mantuę multos vidiſſe Medicos non

ſine magna omnium admiratione in Anna de Fortis Hebręa ex Caſtro Briſſeli narrat Marcellus Donatus lib. 4. de hiſt. medica mirab. cap. 25.

Verùm ab eorum aſſertione me auocat Hippocrates lib. 2. de mob. mul. num. 44. & 61. ſcribens, *ſi inflati fuerint vteri venter atollitur, & inflatur, & ſonitum edit, & pedes, & cauæ faciei partes intumeſcunt, & color deformis fit, & menſes occultantur, & genitura hoc tempore non manet intus, & anhelat, ſpumat, & anxia eſt,* & paulò infrà, *ſi ventus in vteris fuerit flatus exit, ac ſtridet, & tota intumeſcit, & febris habet, & ardor, & ad hæc valde exilit prę dolore, & virum non admittit, & valde egrè fert coitum, & erigi non poteſt, & velut onus graue ipſi in vtero iacet, & caput dolet.* Quorum nullum, ſi ventris eleuationem excipias, in noſtra muliere apparet, *Quæ bene colorata eſt vt tempore ſanitatis, agilis ad motum, colem more ſolito admittit ſine moleſtia, pedes, & faciem tumidam non habet, febre non premitur, dolore non concutitur,* Vnde flatum in eius vtero conſiſtere non poteſt affirmari; præterquamquod quommodo *ſubſultãtis, calcitrantis, & percutientis imaginem* poteſt referre flatus? quommodo certis temporibus moueri, & *impetum adeò vehementem facere?* cur nullus vnquam editur ſonitus, crepitus, aut rugitus? quemadmodum in flatuoſis fœmminis fieri innuit Hippocrates monuit Fernellius de morb. et ſimpt. lib. 6. cap. 15. & cæteri obſeruant Medici; non eſt igitur flatus, qui vterum, ac ventrem mulieris diſtendit, & falſam grauidationem ſimulat.

Sed

Sed multò minus eſt Aqua, quamuis, & hæc ipſa mulieres pariter, & Medicos multoties fallat, quemadmodum expreſsit Hippocrates primo de morbis mulier. num. 85. & alij non ſilent Medici præſtantiſsimi, inter quos Iacobus de Partibus com. ad lib. 3. Auic. f. 3. tr. 4. cap. 21. qui lepidam ſatis habet hiſtoriam de quadam generoſa domina, *quæ ſe pregnantem eſſe credidit, & ita Medici viſitantes eam exiſtimabant, & dum venit pariendi tempus, & iam prouiſum eſſet de bona obſtetrice, & compatribus, & comatribus multa Aqua prodijt à matrice ipſius per vuluam defluens, & illicò venter penitus detumuit, vnde, & ipſa, & Medici fuerunt illuſi*, cui non abſimiles referunt de vxore cuiuſdam Textoris Marcellus Donatus loco ſupra citato, & Iacobus Oẹteus in obſeruat. de fẹmina quadam Eichſtadiana;

Quando enim aqua reperitur in vtero, *non ſolùm imus venter intumeſcit, ſed, & tibię, & lumbi, & mammæ ſolidæ molles fiunt*, & vt cętera omittam *Aquę ipſius vteri oſculum ſignificationem prębet, ad tactum enim gracile, & humidum apparet, & rigor, & febris corripit, & quanto magis proceſſerit, tanto magis dolor habet imum ventrem, & lumbos, & laterum mollitudinem, & inguina*, ita dictante Hippocrate primo de morb. mulierum num. 85. & 86. Quæ tamen in hac muliere nequaquam obſeruantur, non enim inflatę ſunt eius tibiæ, Os vteri molle non eſt, febris, & rigor abeſt, & dolores (vt ſatis ex hiſtoria liquet) imum ventrem non turbant, nec lumbos, nec laterum mollitudinem;

Ex

Ex quibus nec Aquam in eius vtero esse, sat arbitror elluceſcere, & ideo reſtat, quod ſit vel mola, vel monſtrum.

Molas enim ad plures annos in vtero geſtari poſſe docent viri Clariſsimi, qui ad 4. 5. 6. 12. & 20. annũ, & quod maius eſt toto etiam vitæ tempore circumferri poſſe cum Ariſt. ſtatuunt, vnde cum in propoſitæ mulieris vtero fætus iam biennio contineatur, non creſcat, non augeatur, molam ipſam habere rationabiliter ſuſpicandum.

Verùm, vt geſtationis tempus, & incrementum omittam, de quibus reddetur ratio paulò infrà, plura ſunt, quæ omnem de mola ſuſpicionẽ è medio tolunt; Et primò quidem eſt *motus vehementia*, quamuis enim, & mola aliquem poſsit habere motum (quod tamen negat Hippocrates libro de ſterilibus num. 20. vbi ex motus, & lactis deffectu in tumido alioquin ventre reperiri molam argumẽtatur) non tamen *adeò vehemens* eſſe poteſt, *tantoque impetu fieri*, vt in noſtra muliere, in qua *vis intus exiſtentis in motu augebatur, & magis, ac magis fiebat vehementior, & modo in menſe xxiiii. ſumma vis, & impetus percipitur intus exiſtentis, præſertim cum venter premitur, & multò magis ſi manu frigida tangatur*. Secundo mouetur mola ad motum matris, & quouis motu ſe vertat, mouetur & ipſa, ſiue in dextrum, ſiue in ſiniſtrum latus procumbat, & ſi in dorſum pondus aliquod durum lapidis inſtar, & graue ſentit propè pubem, non propè vmbilicum; hic autem *quod intus exiſtit hac illac mouetur vehementer, & mul-*

to

to corpore, ita vt interdum ab vtroque latere vis sentiatur, interdum in medio tumorem durum efficiat, ac renitentem. Tertiò, in molę gestatione mulier est languida, ad incęssum grauior difficilẽ habet respirationem, artus gracilescunt, dolores dorsum, inguina, & ventrem infestant; in pręsenti autem mulier *agilis est ad motum, colorem eundem, & habitum habet quem tempore sanitatis, facile respirat*, non est languida, (saltem non describitur talis) non gracilis, nec vllos dolores patitur, quare molam in eius contineri sinu minimè statuendum.

Remanet ergo vt sit monstrum, extra humanam speciem anima rationali carens; quod neque admiratione dignum, neque impossibile, cum ex materiæ, & Instrumentorum vitio, spiritus atque caloris, & ex deprauata imaginatione (vt dei voluntatem, & Astrorum efficientiam omittam, de quibus Diuus Augustinus lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 22. l. 16. cap. 18. Albertus Magnus secundo lib. de miner. cap. 2. & Cęlius Rodiginus lib. 24. Ant. lect. c. 3.) multoties producantur monstra, vt Medici & Philosophi norunt, & historiarum testantur monumenta; quę omnia in pręsenti muliere locum habere potuisse minimè dubitandum, materiam siquidem, & humores prauos, partium, ac ipsius vteri intemperiẽ, impuros spiritus, vnde, & deprauatę oriuntur imaginationes, ex mali succi edulijs generari, nemo non nouit; huiusmodi autem cibis vesci vt plurimum infimę sortis fęmminas vulgo notũ; quocirca in corpore dispo-

posi-

poſito, concurrentibus diuina voluntate, & aſtrorum efficientia, quę non minus Pauperum ingreditur tabernas, quam Regum turres, monſtruoſum productũ fuiſſe fętum non eſt à ratione alienum.

Cuius autem generis ſtatuendum ſit, qua forma, & figura prędicum certò affirmare impoſsibile cenſeo Multiformes enim multoties viſi ſunt monſtruoſi partus, ferarum, vermium, ſerpentum, Buffonum, Ranarum; Piſcium, ac murium, & quod mirandũ magis, Elephantum, Leonum, Canum, atq; porcorum imaginem, & figuram pręſeferentes, vt narrant Licoſtenes, Plinius, Reineccius, Viues, Iuſtinus, Pareus, Gordonius, Sauonarola, & Alij Illuſtres Viri, Quos collegere Schenchius, lib. 4. obſeruationem Marcellus Donatus lib. 4. de hiſtor. med. mir. cap. 25. & Carranza, de partu nat. cap. 15. num. 93. vnde eorum narrationes, ne in longum nimis creſcat oratio, lubens prętereo; quare in re tam dubia, & arcana quid certi conſtituere humani ingenij vires excedere prorſus iudico.

Mihi, ſi meo marte liceat philoſophari, aut Vermem inſignis magnitudinis, aut è ſerpentum genere quidpiam eſſe, placet aſseuerare; Quamuis enim rarius in vtero generari vermes placeat Gordonio, ibi tamen multoties etiam produci, cum ſit ſentina omnium excremẽtorum Auctor eſt Hippocrates lib. prim. de morbis mul. nu. 3. ſentiunt Io: Matthęus de Grado, lib. 4. pract. & alij viri doctiſsimi apud Sennertum, nec ipſe Gordonius negat, & in honeſtiſsima

Matro-

Matrona id se obseruasse scribit Philippus Geringus lib. 2. cap. 8. de font. acid. sicuti in alia fęmmina ob id doloribus, & lancinationibus in ventre vexata Amatus Lusitanus cent. 7. cur. 17. Quemadmodum, & mihi ipsi contigit hìc Guastallę anno 1652. in Illustri Muliere, quæ cum se grauidam esse arbitraretur, nonum gestationis mensem ingressa sæuißimis doloribus, ac febre per dies aliquot conflictata fato tandē ceßit, dissectoque cadauere loco infantis inuentus fuit in vtero cum insigni aquę copia vermis permagnus, vlnæ vnius excædens longitudinem, craßitudine minimum manus digitum ęquans, viuens, & viuax, cum alijs pluribus minoribus, qui aquę innatantes, ac se se agitantes, mortua adhuc fæmmina motū infantis simulabant, & ita miseram mulierem nouem mensium spatio deceperant, atque vexauerant

Serpentes autem Romæ sicuti in alijs regionibus è mulieribus nasci nouum non est, quando Mulierē Serpentem enixam Romę, testis sit Appianus Alexandrinus de bellis ciuil. lib. prim. & inter initia Marsici belli Ancillam Serpentem peperisse referat Plinius lib. 7. hist. cap. 3.

Illud autem, instar humani fętus, menstruo nutritum sanguine, cum ad præfinitam quandam, & sibi conuenientem deuenierit magnitudinē, nullum amplius incrementum suscipere rationabile est, indeque fit, vt neque vterus amplius extendatur, neque fętus vel loco, vel alimento priuatus intereat, quare neque ex denegato incremento, neque ex longa in vtero mora,

 molam

molam ibi consistere, licet argumentari; vt supra adnotauimus.

At incredibile videbitur fortasse, monstrum posse in vtero tamdiù à muliere sustineri absque insigni noxa, cum, vt Mercatus obseruat lib. 3. de morb. mul. cap. 6. in monstruoso concęptu matrem graui, & nouo aliquo simpthomate premi, quod vel admirationem inferat, rationabile sit. Verùm, vt sit res noua, & magna admiratione digna, non tamen vsque adeò videtur impossibile, monstrum debito alimento fruens, locoq; calenti, & capaci contentum, nec vitę hominis suapte natura inimicum absque vllo vteri detrimento ibi vitam degere, quinimmo cum vitiosi Succi, qui quotidie ex alimentis succrescunt in muliere in eius nutritione assidue consumantur, summa ratione fit, vt prospera satis valetudine eadem fruatur; Id quod nonnullis fætum naturalem gerentibus euenire conspicitur, quippe quę vbi in vtero nihil habent stomaco, capite, & lumbis valde laborant, quam primum autem concęperint, cunctis molestijs soluuntur, & melius habent.

Pręterea etiam mirabile, quommodo seipsum agitet, & prout motu, calore frigore, (quod in historia notatur *dum manu frigida venter mulieris tangitur*) cibo, vel quappiam alia causa stimulatur, calcitrationes, percussiones, & alios motus edat, haud secus ac legitimi partus facere consueuere, nec tamen exitum quærat.

Sed omnis admiratio desinet, si quæ superius sunt

dicta

dicta rursus animaduertantur, habere scilicet suppositum in vtero monstrum ea omnia, quę ad propriam vitam commodè sustentandam videntur necessaria; & obseruetur insuper, quod huiusmodi monstra quia exanguia sunt, parumque caloris habent sola transpiratione contenta in vteri latebris per multos annos solent delitescere, nec sponte vnquam sua foras prodirint, nisi aut vteri vi, aut arte medica pellerentur quemadmodum doctisimè obseruat disertisimus Andreas Laurentius hist. anatom. lib. 8. quęst. 31.

Quibus rudi minerua sic breuiter constitutis, ad omnia in casu proposita quæsita facilis est responsio, dum enim quæritur primò an mulier ab initio fuerit ac etiam in præsenti sit grauida? Respondetur fuisse, & adhuc esse; dum petitur secundo quid intus sit, quod mouetur? Monstrum, dicitur, vermis insignis magnitudinis, aut Serpentis imaginem præseferens, quod sedem habet in vtero, vt tertiò postulatur; mouetur autem cum animal sit è genere Serpentum modo supra exposito, & impetus adeò vehementes facit, ictus, & percusiones, quoniam alis fortasse, & pedibus est armatum. Nutrimentum capit perinde ac cęteri fętus ex menstruo sanguine, vel ipsum suggendo, si vermis naturam habeat, vt vermes plerique solent, vel per venas vmbilicales illud trahendo, cæterorum fętuum more; Exitus illi potest etiam contingere à natura fælix, cũ multas fęmminas absque insigni noxa eiusmodi eddidisse monstra apud viros clarisimos sit manifestum, & esse id frequentisimum in

Mulieribus Lombardiæ, aut quia magis laborant, quia magis ſunt ſubiectæ, aut propter corruptionem alimenti, referunt Gordonius, & Sauonarola, ſicuti in Apulia propter ſeminis, & menſtrui ſanguinis vitiũ, aut vim conſtellationis, nec non in alijs meridionalibus, & auſtralibus præſertim regionibus, teſtęs ſint Guainerus, Alexander Benedictus, & alij plures.

Et animaduerſione dignum quod refert Gaſpar Bahuinus in append. ad partum Cęſ. Rouſſetti, quandam ſcilicet Annam Tromperim puerulum cũ duobus Serpentibus enixam longitudinis vlnæ, qui craſsitie penè infantis brachium æquabant, ab illo deinde tempore quattuor etiam liberos habuiſſe, licèt parum firma fuerit prædita valetudine.

Poſſet tamen arte iuuari, immò de facto id agendũ vt tantum mulieri incommodum auferatur, & ab ingenti adeò ſollicitudine vindicetur.

Cum itaque validis, ni fallor, rationibus ſtatum ſit rem tota ſubſtantia pręter naturam, ita enim vermes Galenus, & monſtra appellat Ariſtoteles lib. 4. de hiſt. animal. cap. 4. immò contrà naturæ leges, atque humanæ rationis prorſus expertẽ in vtero habere, abſque vlla dubitatione ea remouenda eſt, è corpore tollenda ita enim Ars docet, & pręcipit Galenus libro 14. meth. cap. vltim.

Sed cum animal eſſe à nobis ſancitum fuerit, illud viuum è corpore deppellere ſolius eſſe videtur opus naturæ, & tamen poteſt hoc pariter ab arte obtineri remediorum ope, quibus vermes plerumque viuos

è cor-

è corpore detrudi est manifestum ; verùm id in pręsenti assequi, quod iam vetustum est , & uiribus ualens, quemadmodum , *ex vehementia motus* decet argumentari , perarduum, ac difficille, quare satiùs multò uidebitur Galeni consilio uti loco citato ; vel scilicet illud stupefacere prius, ac veluti semimortuũ reddere, vel penitus enecare; mortuo namque fętu, vt lib. 3. de nat. facult. idem obseruat, miro naturæ cõsilio, os vteri aperitur, quantum ad eius exitum sit ex vsu. Neque impium, aut ab humanitatis officio alienũ censendum hoc opus, estò enim, quod monstra clam nutrienda voluerit Diuinus Plato libro 5. de legibus, Aristoteles 7. politicorum cap. 16. non censuit educanda, sicuti neque apud nos, qui Christi Domini nostri fidem exactè colimus, ea alere permittitur, ideoque qui monstrum occidit, de homicidio non tenetur, vt docet Alph. à Carranza cit. oper. cap. 17. Eoquæ magis, quod monstruosi partus, præsertim si plus de sua natura discedant, viuere nequeunt, Philosophi sẽtentia, cui consentit Lucretius lib. 5. de rerum natura scibens.

Quę neque florescunt pariter, nec robora sumunt
Corporibus, neque proijciunt ætate senecta.

Adeò vt ne quidem in principio posśint consistere, vt inquit Alexander Aphrodiseus in opusc. de fato.

Omitto quod monstruosæ istæ parturitiones Antiquis semper aliquid mali pręsagiebant, & velut iræ Deorum habebantur tanquam res prodigiosæ, vt ex Tacito lib. 12. annal. Nonio, Marcello, & alijs colligit

ligit idem Carranza, vnde partus iſtos portentoſos è-nixis, etiam imprecationibus, vitare conabãtur, vt colligitur ex Dalencampio ad Plinium lib. 7. cap. prim.

Porrò ad fœtus viuos, Vermes, atque Serpentes vel in penitioribus corporis partibus interficiendos, multa habentur præſidia in arte medica, amara omnia id prȩſtant Galeni, & Auicennæ teſtimonio: ſed multa prȩterea exiſtunt ſuo loco afferẽda; interim, vt quod in votis eſt conſequi poſsit, animal quodcũque ſit ſaltem, vt dictum fuit, videtur infirmandum, ſtupefaciendum, & veluti aduerſus medicamenta pugnando ineptum reddendum;

Poſſunt id prȩſtare diȩta, ſanguinis miſsio, atque purgatio, quibus ſubtracto alimento fœtui neceſſario non ſolùm debilior redditur, atque imbecilior, ſed interimitur plerũque, atque corrumpitur, vt notat idem Magiſter lib. 5. aphor. com. aphoriſmor. 37. & 52. verùm ſola dieta, veluti matri non minus quam fœtui inimica, ſuſpecta redditur, & purgatione tantum, vel ſanguinis miſsione id agere, periculo non vacat, vires enim non prorſus deiciendȩ: non tamen hȩc omittenda, ſed & illis, & aptis ad fœtum iugulandum, & depellendum medicamentis ſumma prudentia, & conſilio ſimul vtendum.

Inſtituenda ergo primùm à Medicis aſsidentibus aliqua ex parte attenuãs victus ratio, ita videlicet, vt mulier perferre poſsit, ac perdurare, deinde purgatio offerenda ijs medicamentis, que ventrem emolire pituitam in ventriculo genitam, & exuberantem, vt *ex vomitu*,

mitu, qui aliquando contingit eſt manifeſtum, euacuare nec non aliqua ex parte bilem, & melancoliam educere ſunt aptè nata; huiuſmodi erit potio ex folijs ſenę, Agarico, & Rhab. parata, in aquis conuenientibus infuſis, additis correctiuis, & manna, vt apud nos Ferrarienſes eſt in vſu, vel ex elect. diacatolic. cum ſyrup. & melle roſ. ſolut. concinata, vel bolus ex elect. lenitiuo cum hiera ſimplici Galeni, vel aliud ſimile; ea peracta ſyrupus offerendus ex his quę incidendi, & aperiendi facultatem poſsident, vermes, & ſerpentes necandi, ac educendi: quam plura huiuſmodi profert Medicinę ſylua, & multa habentur apud Gal. lib. 8. de ſimp. med. fac. Auicennam, & Dioſcoridem, ex quibus parari poteſt in hunc modum Recip. camedrij, ſcordei, dictamni, calaminthæ, marrubij, pulegij an. q. ſ. fiat ſ. a. decoctio. Rec. dictę decoctionis vnc. 5. oximel. ſimp. vel compoſ. vel ſyrup. de duab. radic. ad vnc. 1. & ſ. fiat ſ. a. ſyrup. ſeptem ſaltem diebus in aurora aſſumendus. vno vel altero exhibito ſyrup. vena communis ſecanda in dextro cubito, & ſanguis extrahendus ad vnc. ſex, vel octo arbitrio Medici.

Aſſumptis ſyrupis purgatio denuo inſtituenda, vel concinata rurſus potione priori ſimili, addita tamen portione radic. elebori nigri, & nonnichil dictam. ſcord. & ſimilium: vel ſyrup. de polipod. & melle roſ. ſol. cum diacatol. elect. indo, vel confect. hamec. aut pillulis, ſi magis arrideant, de fumoterre, aleophanginis, vel de hiera quarum, ſicuti cęterorum medicamentorum doſim, atque menſuram Medici aſsidentis

dentis iuditio consultò relinquo. Ab hac purgatione rursus propinandus syrupus priori non absimilis, ex decoct. dictamni, calamint. marrub. camedrij, elitropij min. rad. filicis fœm. sabinę, seminum rutę, & dauci cum oximelite composito, syrup. de artemisia, de cicor. cum rhabar. &c. Et rursus post primum, aut secundum syrupum vena incidenda in talo dextri pedis, & sanguis educendus Medici arbitrio.

Quinque, vel septem exhibitis syrupis vlterius progrediendum: & quoniam fœtum, si non extinctum, saltem inualidum, atque imbeciliorem redditum sperandum est, de eius expulsione cogitandum; Dentur Mulieri itaque pillulę huiusmodi. Rec. trociscor. de myrrha scrup. duos, pillular. aleophang. drac. semis. castorei, boracis miner. ana scrup. sem. vel unum, si opus sit, elaterij grana duo m. & cum melle rosat. fiant pillulę. Vel, si magis placeat, talis potio. Rec. trocisc. de myrrha scrup. duos, castorei, styrac. borac. ana scrup. unum, dictamni cret. puluerizati dracm. sem. decoctionis sabinæ, scordei, camedrij, radic. filicis fœm. unc. sex. m. & fiat potio; cui non absimiles additis etiam ualidioribus medicamentis, tum simplicibus tum compositis ad expellēdos mortuos fœtus passim usitatis poterunt ex tempore parari curantis Medici consilio, prout res ipsa exposcere uidebitur.

Internis hisce remedijs externa sunt adenda. Quocirca & inunctiones, & emplastra umbilico erunt apponenda suffumiggia adhibenda, pessaria immittenda Vnguentum de Arthanita hyppogastrio, & pubis regioni


gioni adhibitum mirè proderit, vtpote quod vermes interficiendi, & expellendi facultate est prẹditum, validius tamen operabitur præhabito fotu ex dictamno, ſabina, artemiſia, matricaria, mercuriali, radice iridis, & filicis; laudatur à nonnullis radix cyclaminis cum modicò aceti acerrimi tuſa in mortario, & in emplaſtri formam redacta, atque vmbilico appoſita, & folia cupreſi ventri impoſita ad idem valere à proprietate creduntur. Inunctiones ex oleo rutaceo, ſeminum lini, liliorum alborũ, & ſimilibus erũt ex vſu, veluti ſuffumigia ex lupinis, ſabina, mandragorę radice, eleboro albo, myrrha, galbano, mezereo, & ſulphure viuo, ex arte parata, & per tubulum, vt moris eſt, in vterum excepta; neque omittenda quę à proprietate agere creduntur, vt vngula aſini, piſces ſaliti, pili mulierum, & ſimilia. Peſſaria tandem mirè proderunt, quorũ forma eſto, Recip. ſucci cucumeris aſinini vnc. 1. myrrhæ, elebori nigri, ariſtolochiæ rot. ana drac. 1. mellis q. ſ. m. & fiat ſec. art. peſſarium cui, & addi poteſt collocynthis, amoniacum, fel tauri, & alia huius cenſus, quæ goſsypio excepta in vterum imituntur. His peractis ſi fœtus mortuus ſit nec tamen exeat, manus opera vtendum, quod fieri commodiſsimè in Vrbe poterit, vbi, ſicut in cęteris, habentur in Chirurgia Viri præſtantiſsimi.

Hæc ſunt HIERONYME Clariſsimè quę in propoſito caſu acutioribus, & ſublimioribus ingenijs digno potui dixiſſe, vt meam erga te promptitudinem palam facerem; Quibus, ſi à veritatis ſcopo aberra-

uerim, minimè reprehensione dignus censendus sum; De his enim, quę per accidens existunt, & non habent speciem in natura determinatam, non potest haberi Scientia, Philosophi testimonio vndecimo Methaphisicę.

Dabam Guastallę die X. Septembris Anni currentis M.DC.LXIIII.





ALCANNAM ARABVM

Ex qua remedium paratur tutiſsimum, ac præſtantiſſimum Ad Tingendos Aureo Colore Capillos

Apud Amatum Luſitanum cent. 3. cur. LIX.

NON ESSE CASSIAM

Ut malè cenſuit Vir Doctus, & quid eius nomine ſit intelligendum.

PROGYMNASMA SEXTVM.

Ad Per Illuſtrem, & Excellentiſs.

D. IO: FRANCISCVM LANZIVM

Accerrimi Ingenij Iuuenem, & optimę ſpei apud Ferrarienſes Medicum.



Ta planè res habet, IO: ERANCISSCE doctiſsimè, bonus quandoque dormitat Homerus; Non potui NN. Viri alioquin eruditiſsimi, atque in interpretandis Antiquorũ Arabum, Gręcorum, & Latinorum ſcriptis verſatiſsimi probare ſententiam, ac interpretationem nominis ALCANNÆ ARABVM, quam eſſe Caſsiam aſſeruiſſe tuis ad me litteris ſignificaſti; Quare, etſi ſummum viri pręſtantiſsimi ingenium, atque eruditionem magnopere ſemper fuerim admiratus, eius

tamen opinioni non possum in pręsenti assentiri (abfuit enim semper à me pessimum veri affectus venenum adulatio) & aquiescere. Aliter Principum in arte medica Virorum docet auctoritas, suadet, & ratio, quibus in rebus medicis perpetuò est inhærendum.

Quid igitur, vt Tibi, cui semper in omnibus placere studui, hac etiam in parte satisfaciam, nomine Alcannę Arabū sit intelligendum, quęnam illius sint facultates, & vsus, breuibus aperiam, in re namque omnibus bonarum litterarum cultoribus, vt puto, satis nota, tempus non conterendum.

Alcannę meminit Auicenna lib. 2. tr. 2. cap. 51. Eiusque nomine Ligustrum intelligendum esse Interpretes illius, ac alij viri doctissimi affirmarunt, hoc autem idem esse, quod Gręcorum Cypros, Plinius lib. 24. cap. 10. Hermolaus Barbarus corol. in Dioscorid. cap. 126. Mattiolus lib. 1. cap. 105. & Durantes cap. de ligustro testatum relinquerunt;

Et sanè, si quæ in descriptione ligustri, ac eius facultatum, & virium ennaratione habentur, cum ijs, quę de Alcanna, & Cypro Græci, & Latini scriptores asseruerunt, attentè conferantur, rem ità se habere palam fiet; Alcannæ formam, & figuram omisit Auicenna, arbustumque solummodo esse protulit eius interpres Iacobus Foroliuiensis, eam tamen sic descripsit Bellonius lib. 2. memorab. & singular. cap. 74. *Alcanna in punicæ mali magnitudinem excrescit, sed cum cedatur, virgulas dum taxat profert, saliceorum vimi-*

mi-

minum instar; Ligustrum autem hisce coloribus depinxit lib. prim. Dioscorid. cap. 126. *Ligustrum est arbor oliuæ folijs, circum ramos latioribus, mollioribus, ac virentioribus, flore candido, mucoso, & odorato*; neque absimile exibuerunt Mattiolus lib. prim. cap. 106. qui cęcos eos appellandos statuit, qui Ligustrum esse Græcorum Cyprum negare contendunt, & Durantes capite proprio; quocirca ex plantæ similitudine vnum, & idem esse satis potest deduci, ac depręhendi.

Sed multò id clarius ellicitur ex facultatibus, ac viribus quæ singulis tribuūtur, nam si de Alcanna scripsit Arabum Princeps *illam frigidam eße in primo, sicam in secundo, & in ipsa esse ressolutionem & stipticitatem, & exsicationem sine nocumento, & esse ressolutiuam &c. eius decoctionem conferre adustioni ignis embrocatam, & oleum florum ipsius ressoluere lassitudinem, lenire neruos, cōferre ossium fracturę, ac liniri cum aceto supra frontem ad soda, & similiter conferre vlceribus oris &c.* de ligustro pariter docuit Dioscorides lib. prim. cap. 126. *cōmmãducatum vlceribus oris mederi, illitum feruidis inflãmationibus, carbunculisque prodesse, decocto eius ignis ambusta foueri, florem ex aceto fronti illitum capitis dolorem sedare, Cyprinum oleum quod ex eo fit excalefacere, & emolire neruos*; quemadmodũ, & de Cypro prodidit Gal. lib. 7. de simpl. med. facult. inquiens *huius arboris folia summaque germina in vsum veniunt, & facultatis, & qualitatis mistæ, habent enim quiddam digerens cum aquea substantia modicè calida, habentque etiam adstrictorium*

quid-

quiddam ex terrena ſubſtantia frigida; itaque eorum deco-cto quidam ambuſta fouent, vtũtur etiam aduerſus igneas phlegmonas, & carbunculos, nam abſque moleſtia, & morſu deſſiccant, quin etiam ſponte prouenientibus in ore vlceribus, & maximè quę aphtodę ſunt, & ipſis etiam puerorum aphtis commanſa commoda ſunt. Quibus ſimilia profert Paulus Ægineta lib. 7. illud inſuper addẽs medicamentis lieni dicatis vtiliter permiſceri.

Pręterea in ſingulis eſt inſignis facultas, & vis mira tingendi aureo colore capillos (quod nobis hæc ſcribendi anſam obtulit) vt de alcanna primùm affirmat Princeps lib. prim. fen. 2. doct. 3. cap prim. vbi docens Medicos quonam ſe debeant gerere modo in vrinarum inſpectione, hoc præ cæteris obſeruandum monet, ne corpus ab aliqua re externa infectum fuerit, quę vrinam tingere ſit apta, & ſunt eius verba, *neque ſit qui exteriora ſui re tingente infecerit, ſicut Alcanna, quoniam cum ex ea aliquis tingitur, fortaſſe eius vrina ex ea inficitur.* vbi Coltęus, quamuis Alcannam liguſtrum eſſe abſque vlla dubitatione affirmet, atque liguſtri flores ad picturam vſurpari certum eſſe aſſerat, eam tamen tingendi facultatẽ, quã illi Princeps tribuit, videtur improbare dum ſcribit, *pro Alcanna legendum eſſe archenda ſuſpicari; archendamque eſſe puluerem quẽdam tinctorum, quo noſtra etiam tempeſtate Parthi atque id genus homines ornatus gratia vngues, & totum corpus quandoque inficiunt;* In quo tamen decipitur Vir alioquin doctiſsimus, cum Archenda non aliud ſit, quam puluis ex folijs Cypri, ideſt liguſtri, & Alcan-

nę

nę concinnatus, vt paulò infrà Alpini testimonio demonstrabitur; nec desint alij Viri Clarissimi, qui Auicennæ doctrinam sequuntur, probant auctoritatem, vt Iacobus Foroliuiensis Philosophus non minus, quã Medicus Illustris in commentario subdens, *Nota Alcanna arbustum est, & habet tincturam fortem, & penetrantem valde qua Saracenni tingunt vngues suas, & facit etiam ad flauedinem capillorum, ideò si quis hac re fuerit tinctus, est contingens vrinam inde tingi*, & Bellonius loco cit. addens, *magnum adfert questum Egipti incolis nam eius folia siccata in pollinem terunt, flauo colore inficientem, huius pollinis census tam ingens est per eas regiones, quæ Turcarum Imperatoris subiacent imperio, vt plus quam octodena ducatorum millia reddat; inualuit enim ea consuetudo, vt omnes mulieres manus, pedem, capillorum partem rubro, aut flauo, viri autem vngues rubro colore hoc puluere inficiant; addito præterea alumine puerorum vtriusque sexus Capillos tingunt, equorum iubas, pedes, & caudam. Eius regionis Mulieres ad formæ decorem multum accedere putant, si ab vmbilico infrà etiam coxarum partem flauo colore inficiant.* nec non Io: Baptista Porta magiæ natural. lib. 9. cap. 2. scribens, *ex Affrica puluis nobis affertur, quem vulgo Alcanna dicunt, si lixiuio eum ebuliemus, donec coloretur, & Capillos perungamus rufo colore tingit ad multos dies indelebili.*

Quod, & de Cypro narrat Prosper Alpinus de plantis Ægipti cap. 13. hæc proferens, *ex folijs Cypri Orientis arboris, quem Egiptij Elcanna, vel Tamarendi vocant, puluerem conficiunt, quem Archenda illi appellant; Hoc*

Mulie-

Mulieres vtuntur ornatus gratia manus, & pedes colore aureo tingentes, non autem in ſucco lanariæ, aut ſtruthij, vt ait Dioſcorides, ſed ſimplici aqua eam miſcentes, aquã auream faciunt, quæ aureo colore tingit; quod arcanum ſi noſtræ Mulieres agnouiſſent, pro deaurandis ipſorum Capillis nihil haberent, quo ſecurius vterentur, neque ſub radijs ſolis ſe vrerent, varijſque modis caput læderent.

Ac de Liguſtro Dioſcorides cap. proprio ſcribens, *Capillos ruffant trita folia, quæ in radiculæ ſucco maduerint*, & Caſtor Durantes vbi cecinit.

Ambuſtis prodeſt, Crines ruffatque liguſtrum

Ineſt ergo tam in Alcanna appellata, quam Cypro, atque liguſtro vis, & facultas tingendi aureo colore Capillos, vngues, & alias partes, vnde meritò ex hac etiam facultate in ſingulis præſtantiſsima vnam, eandemque plantã eſſe licet argumẽtari, varijs quamuis nominibus nuncupetur, ab Arabibus nempe Alcanna, à Græcis Cypros, à Latinis Liguſtrum, quare non incõſultò ſcribit Amatus Luſitanus ex Alcãna Arabum parari remedium ad tingendos aureo colore Capillos tutiſsimum, ac præſtantiſsimum, cuius deſcriptionem in gratiam mulierum nobiliũ hìc placet ſubnectere, Foreſti exemplo lib. 8. obſ. obſ. 9. & eſt huiuſmodi; *Alcannam Arabum in puluerem redactam, vt à Græcia, & Mauritania Mercatores afferunt accipito, quam pauco vino tepente exceptam in pulmenti formam redigito, & ea poſtea Capillos per ordinem vniuerſos ad radices vſque illinito, quos ſic illitos per horas 24. ſtupis coopertos, & bene faſciatos ſinito, poſtea verò tepente vino*

caput

caput lauato, & eburneo pectine, vel altero dentes oblongos, & plicabiles habente prędictos pectinato capillos, breui enim eos vt aurum reddes.

Nec absque ratione admonet Auicenna cauendum in inspectione vrinæ, ne corpus à re tingente fuerit infectum, veluti Alcanna, cum non modo apud Turcas, sed etiam in Vallachia, Russia, & Bossina Capillos, vngues, manus, & corpus ea ab vmbilico infrà tingendi vsus inualuerit. Quõmodo autem ex linimento extrinseco infecta corporis cute humorum corporis color, atque vrinæ possit immutari, explicat doctissimè Costæus in allata adnotatione scribens. *Quod licet mirũ id videatur non tamen id fortasse absurdum existimabitur, si quis mutuum corporis totius consensum, spirituumque extrà, & foras recurrentium motum aduerterit cuius vi, & aeris, circumstantium nobis rerum qualitates profundis etiam corporis nostri partibus veluti, & humoribus, & excrementis comunicari quotidie re ipsa experimur;* Quod tamen prius docuerat Hippoc. lib. de Alim. n. 4. docens corporis nostri *confluxionem vnam esse, conspirationem vnam consentientia omnia.* Ex qua humorum, & excrementorum infectione non in cute solùm sed vel in Capillis, & pilis corporis vniuersi mutatio contingit, cum humorum, & excrementorum ex quibus producuntur naturam, & colorem induant, ac prę-seferant, vt loco eodem expręsit Dictator asserens, *in pilos alimentum, & in vngues, & in extremam superficiem intrinsecus peruenit, forinsecus alimentum ex extrema superficie ad intima peruenit.* & Auctor est Galen. lib.

2. de temperam. cap. 5. ac inuit Auic. lib. prim. fen. 2. doct. 1. cap. 6. vnde rationabile simul, ac validum censendum ad canitiem arcendam, & denigrandos pilos, & Capillos medicamentum expositum à Schenchio lib. prim obs. obs. 4. quod & in gratiam Illustrium virorum, vt aliquid etiam amœnioris, nostris hisce lucubrationibus inseratur, refferre non grauabimur, & sic habet, *Mense Septembri virentis nucis, & procerę radicem cruris crassitudine sub terra latentem per transuersum secabis, sublataque parte inferiore illius loco vas vitreum, aut figulinum vitreatum oleo oliuarum plenum submittito, ita vt vas ipsum radicis truncum, ex quo reliquum pręcidisti, recipiat intus, immergaturque oleo. Deinde vasis os cera ita obline, vt cera radicis caudicem cum vasis summis labris coniungat, ne terra intus possit penetrare, inde linteo circumdato terram sensim super impone, vt vas radicis quam præcidisti loco sub terra sepultum iaceat, donec Nux ipsa flores emittat; tunc vas diligenter ne terra in illud cadat cauendò detrahito, oleum inuenies nigrũ succo nucis in illũ defluente perpetuis ix. iam mensibus.* Ex hoc scrotum diligenter, postquam homo in balneo sudare cæperit inungito, atque asiduè in ipsum testes immissos foueto, nam ad omnes pilos, & Capillos denigrandos optimè facere existimatur; sufficereque aiunt si semel in anno quis hoc pręsidio vtatur; nam vim testium transferri in totum corpus pilorumque causam esse indicio est, quod, qui castrati sunt nec calui fiunt, nec barbam emittunt.

Nec obstat, vt ad propositum sermo reuertatur, quod

quod caſsia etiam fiſtula tingendi vrinam dicatur habere facultatẽ, vt exprimit loc. cit. Princeps hiſce verbis, *& non ſit qui in cibo aut potu rem tingentem accepit, ſicut crocum, & caſſiam fiſtulam, quoniam vrinam tingendo ad citrinitatem, & rubedinem immictat*, Ex quo Auicennę contextu errandi fortaſſe occaſionem arripuit vir doctiſsimus; nam ratio propter quam mutatur ab aſſumpta caſsia vrinę color ad citrinitatem, non eſt eius facultas hoc colore tingendi, ſed ea prouenit coloris in vrina mutatio Iacobo Foroliuienſi aſſerente, altero duorum modorum, *primò quia cum ſit euacuatiua, ſecundum partem tranſiens per vias vrinæ, ſecum ducit coleram, quæ citrinat vrinam, ſecundò imaginando, quod licèt caſſia ſit nigra, permiſcetur tamen rei ad albedinem tendenti, ex permiſtione autem horum reſſultat color rubeus & citrinus, ſicut etiam de fuligine diſperſa per aquam patet*.

Tandem Alcanę nomine caſsiam nullo modo intelligendam patet conſiderantibus; quęcunq; enim caſsia à nobis intelligatur, nullo pacto cum liguſtro, aut alcanna conuenire manifeſtum exiſtit; & primò quod caſsia fiſtullaris, vel ſolutiua alcannę nomine nequaquam ſit accipienda ex vtriuſque arboris forma, & figura conſtat euidentiſsimè, nam alcanna, vt alibi expoſuimus arbuſtum eſt in punicæ mali magnitudinẽ excreſcens, vliuę folijs, virgulas, dumtaxat proferens ſaliceorum viminum inſtar, floreſque candidos, muçoſos, & odoroſos.

Caſsia autem ſolutiua, quam Hiarxamber Arabes

appellant, tametsi Auicenna corrupto nomine Fhiar-ſamandar, vt refert Garzias ab Horto, cap. 29. *Arbor eſt Pyri magnitudine, folijs mali perſicę, anguſtioribus tamen aliquantulum, & vireſcentibus, floribus geniſtę perquam ſimilibus, luteis, cariofilorum odore ęmulantibus, quibus decidentibus exiliunt oblongę ſiliquæ virentes admodum ante maturationem (non autem rubentes vt ſcripſit Lacuna) quę per maturitatem nigreſcunt, longitudine inter dum quinque palmorum, numquam verò infrà binos palmos.*

Secundò, quod neque caſsia odorata, euidens pariter eſt apud Galenum, Dioſcoridem, Manardum, Mattiolum, & alios, qui de ea exactè ſcripſerunt, nam vt plura eius genera, colorem, ſaporem, odorem, & cęteras eximias dotes omittam, illud eſt omnibus notum plantam eius, quæ lignea appellatur, ac pro Cinamomo venditur, quam eſſe veram caſsiam ſtatuit Manardus lib. 8. epiſt. prim. folio eiuſdem teſtimonio, conſtare ad rotundum vergente, vel vt Dioſcorides ſcribit lib. prim. cap. 12. folijs piperis, illiuſque arborem ſic deſcribere Garziam ab Horto cap. 15. *Cinamomum ſiuè canella arbor magnitudine eſt oleæ interdum minor multis ramis prædita non ijs quidem contortis, ſed rectis fermè, folijs lauri quidem colore, ſed forma ad citri folia accedente (non verò folijs iridis, vt quidam ſcipſerunt) floribus candidis, fructu nigro, & rotundo, auellanę ferè magnitudine, aut exiguis oliuis ſimili;*

Quod denique ea Caſsia non ſit, quam Plinius lib. 21. cap. 12. cum Thymo, roſis, violis iuxta Apum aluearia ſerendam conſulit, & qua Romani vtebantur

tur

tum olim pro coronis, vt notat Mattiolus lib. prim cap. 13. luce clarius existit, nam eam esse herbam nō arborem eiusdem testimonio sat est euidens.

Ita, ni fallor, satis superque demonstratum censeo quid nomine Alcannæ Arabum veniat intelligendum, & quam malè egerint, qui casiam, quocunque modo acceptam, pro ea assumendam esse iudicarunt.

Meam hanc itaque sententiam candidè, & liberè expressam læta accipe fronte Io: Francisce Carissime, naturamque interim tuam, quę veluti ager est Hippocratis testimonio in lege, industria colere, eique dogmata Pręceptorum, quę veluti semina sunt, alacri animo, vt cępisti, mandare ne desinas, quò tandem fęliciter, & cum profectu suos valeat producere fructus, & me ama.

FINIS.



Errata maioris momenti sic corrigito.

Pagina 9. linea 10. plurrima, lege, plurima p. 25. l. 8. effllugeat l. effulgeat. pag. 26. l. 10 medicamenrum l. medicamentum. p. 30. l. 16. venatum l. venarum p. 33. l. 4. concedere l. concedi. linea 23. respicens l. respiciens. p. 39. l. 14. educto l. adducto. p. 42. l. 16. solercia l. solertia. p. 44. l. 5. Acutor l. Auctor. p. 47. l. 13. mullius l. nullius. p. 53. l. 29. excelensis. l. excelentiss. p. 56. in tit. Ferrarieninm l. Ferrariensem. p. 67. l. 28. exenentibus l. exerente. p. 68. l. 9. penetrationum l. penetrationem. p. 69. l. 24. coagolatio l. coagulatio. p. 70. l. 12. expurgandis l. expugnandis. p. 98. l. 3. in quidem adde, in his quidem. p. 117. primum. l. plurimum, p. 123. l. 11. prpter l. propter. p. 128. l. 7. dele l. 3. p. 131. l. 12. cum l. com. p. 132. l. 12. cor. l. car. p. 134. l. 26. qnam. l. quam. p. 145. l. 21. tollitut l. tollitur. p. 150. l. 3. morbotus l. morbosus. p. 156. l. 23. inquir. l inquit. p. 157. l. 9. vtelli l. vtendi. p. 157. l. 28. ctiorum l. ctionum. p. 176. l. 14. obseruationem l. obseruationum. l. 17. narrurtiones l. narationes. p. 179. l. 8. prodirint l. prodirent l. 14. respondetut l. respondetur. l. 24. naruram l. naturam. p. 180. l. 18. statum l. statutum p. 183. l. 24. nonnichil l nonnihil. p. 130. l. 15. in singula, l. in singulis. p. 131. l. 29. huiusmodi, seccione l. huiusmodi seccione.

Die 6. Martij 1665.

De mandato Reuerendiss. Patris Inquisitoris Mantuę Frater Ioannes Baptista Gherli Vic. Sancti Offitij Guastallę vidit.

Attenta tali atteſtatione

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Maria Granaria Sac. Theolog. Magiſt. & Mantuæ Inquiſitor.